


ERNESTI ANTONII NICOLAI  
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIII  
AVLICI, MEDICINAE DOCTORIS, EIVSDEMQUE  
PROFESSORIS PVBLICI EXTRAORDINARII  
IN REGIA FRIDERICIANA

SYSTEMA  
MATERIAE MEDICAE  
AD  
PRAXIN APPLICATAE.  
TOMVS II.




HALAE MAGDEBURGICAE,  
SVMTIBVS CAROLI HERMANNI HEMMERDE

1752.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO LVDOLPHO**  
S. R. I. LIB. BARONI  
DE  
**DANCKELMANN**  
DYNASTAE IN LODERSLEBEN, OPHAVSEN,  
CETERA,  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI ET  
ELECTORI BRANDENBURGICO  
AB INTIMIS STATVS MINISTERIIS ET  
SANCTIORIBVS CONSILIIS,  
PRIMARIO PRAESIDI RERVM ECCLESIASTICARVM  
OMNIVM AC SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI  
ELECTORALIS MARCHICI,  
SVPREMO MODERATORI ET CVRATORI OMNIVM  
REGIARVM ACADEMIARVM ET SCHOLARVM VT  
ET BIBLIOTHECAE REGIAE TECHNOPHYLACII  
AC NVMMOPHYLACII REGII,  
RERVM FEVDALIVM DIRECTORI  
CAVSSARVMQVE GALLICARVM CIVILIVM ET  
ECCLESIASTICARVM GVBERNATORI  
IVSTITIAE AC LITTERARVM STATORI ET  
MAECENATI SVMMO  
DOMINO AC PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO  
HVIUS SYSTEMATIS CONTINVATIONEM  
IN PIETATIS ET OBSERVANTIAE SVAE  
DOCVMENTVM  
D. D. D.  
AVCTOR.





## PRAEFATIO.



Quemadmodum nulla facile res, in cuius notitiam hominum ingenium penetravit, opiniorum varietati, præjudiciorum fallaciæ, sententiarum dissensui & controversiis magis est exposita quam medicamentorum vires eorumque modus agendi, ita nihil medicis tantum dedecus tantamque ægrotantibus noxam afferre potest, quam, quæ in virium, quibus medicamenta pollut, æstimatione viget, judiciorum disparitas. Non ex partibus constitutivis, quas sensus & chemia detegunt, non ex legibus, quibus corporum vires in agendo sunt adstrictæ, non ex certis atque indubitatis observationibus, non denique ex relatione virium ad individui, in quod agunt, præsentem statum deducere & dijudicare solent medici medicamen-

PRAEFATIO.

camentorum vires sed idolis sectæ, auctoris & antiquitatis occoecati, præjudiciis decepti, opinionis, qua semel imbuti sunt, perversitate tracti varias medicamentis adscribunt virtutes omni omnino fundamento destitutas. Neque adeo expedita res est nullisque involuta difficultatibus, medicamentorum vires accuratius determinare. Ego laborem in me fuscepi vires medicamentorum paulo exactius rimandi eaque, quam in partis primæ præfatione exposui, ratione determinandi. Nunc lectori benevolo exhibeo hujus laboris continuationem, quam mox alia sequetur. Plura, quæ forsan scire cupit, inveniet exposita in procœmio parti primum editæ præmisso nihilque mihi restat dicendum, nisi, quod Excellentissimus Medicinæ Doctor Pietschius in egregio suo de generatione nitri scripto ostenderit, sal Anglicanum amarum non, uti communis fere omnium hactenus fuit opinio, ex capite mortuo Vitrioli & parte alcalina salis communis sed potius ex nitri crudi lixivio in crystallos redacto solutione & filtratione crebriori item calcinatione & commixtione cum pauxillo acidi vitriolici parari. Inquis & absonis meorum scriptorum censuris, quæ in novellis prodierunt, in peculiari scripto respondebo auctorumque tam ignorantiam quam malitiam simul ostendam, doctos vero æquos & honestos rerum medicarum arbitros, ut me meumque hunc laborem suo dignari favore, &, si qua irrepserint, vitia typographica amice corrigere velint, ea, qua decet, observantia & humanitate rogo. Dabam d. XXIII. April.

MDCLII.



CON-



## CONSPECTVS CONTENTORVM.

### PARS II. DE MATERIA MEDICA IN SPECIE.

LIBER I. DE MEDICAMENTIS EVACVANTIBVS.

SECTIO I. DE MEDICAMENTIS PVRGANTIBVS.

CAPVT V. DE ALOE.

CAPVT VI. DE AGARICO.

CAPVT VII. DE SCAMMONEO.

CAPVT IX. DE GVMMI GVTTA:

CAPVT X. DE CASSIA FISTVLARI

CAPVT XI. DE TAMARINDIS.

CAPVT XII. DE SENNA.

CAPVT XIII. DE CVCVMERE ASININO ET ELATERIO.

CAPVT XIV. DE SALIBVS QVIBVSDAM MEDIIS,  
VT SALE ANGLICANO, CAROLINENSI,  
SEDLICENSI ET SEID-SCHVZENSI IDQVE GENVSALIIS.

CAPVT XV. DE MAGNESIA ALBA.

CAPVT XVI. DE TVRPETHO VEGETABILI.

CAPVT XVII. DE MECHOACANNA.

CAPVT XVIII. DE BRYONIA.

CAPVT XIX. DE MATALISTA.

CAPVT




- CAPVT XX. DE SEMINIBVS CARTHAMI  
SEV CNICI.  
CAPVT XXI. DE HERMODACTYLO.  
CAPVT XXII. DE MYROBALANIS.  
CAPVT XXIII. DE ELLEBORO NIGRO.  
CAPVT XXIV. DE CYCLAMINE.  
CAPVT XXV. DE ESVLA.  
CAPVT XXVI. DE SEMINIBVS RICINI.  
CAPVT XXVII. DE LAVREOLA ET COCCOGNIDIO.  
CAPVT XXVIII. DE EVPHORBIO.  
CAPVT XXIX. DE RADICE POLYPODII.  
CAPVT XXX. DE CVSCVTA ET EPITHYMO.  
CAPVT XXXI. DE RHAMNO CATHARTICO.  
CAPVT XXXII. DE FLORIBVS LAXANTIBVS.  
CAPVT XXXIII. DE CENTAVRIO MINORI.  
CAPVT XXXIV. DE FVMARIA.  
CAPVT XXXV. DE AVRO FVLMINANTE.  
CAPVT XXXVI. DE LAPIDE LAZVLI.  
CAPVT XXXVII. DE LAPIDE ARMENO.

## SECTIO II. DE EMETICIS.

- CAPVT I. DE EMETICORVM MODO AGENDI  
ET VSV.  
CAPVT II. DE RADICE IPECACVANHAE.  
CAPVT III. DE RADICE SCILLAE.  
CAPVT IV. DE ASARO.



SYSTE-



SYSTEMA  
MATERIAE MEDICAE  
AD  
PRAXIN APPLICATAE  
PARS II  
DE  
MATERIA MEDICA  
IN SPECIE  
LIBER I  
DE  
MEDICAMENTIS EVACVANTIBVS  
SECTIO I  
DE  
MEDICAMENTIS PVRGANTIBVS  
CAPVT V  
DE  
A L O E.



§. I.

A LOE est succus ex foliis plantæ ejusdem nominis Quid sit aloë expressus inspissatus atque exsiccatus. Tres ejus & quot ejus species hodie in officinis prostant, quæ non dentur species. præstantia a se invicem discrepant atque variis insigni-

A untur

untur nominibus. VNA SPECIES est PRÆSTANTIOR, alia vero MINUS PRÆSTANS SEU VULGARIS Prior dicitur ALOE SUCCOTRINA, SOCCOTRINA SOCOTERINA seu ZOCCOTRINA atque ex insula *Socotra* in mari Indico Arabiae felicis partem ambiente sita, quam alii etiam *Soccotoram*, *Zocotoram*, *Socatram* & *Succotoram* nominant, vel in integris placentis vel in frusta majora diffracta ad nos affertur, unde etiam nomen suum accepit, quamvis alii hoc a succo concreto, qualis est aloe, derivare velint. Placentæ vel frusta plerumque vesicis, pellibus aut cucurbitis inclusa advehuntur. Posterior aloes species minus præstans seu vulgaris est iterum vel pura & dicitur HEPATICA ob colorem, qui ad hepatis colorem accedere videtur, vel IMPVRA seu VILIOR & CABALLINA nuncupatur sine dubio eam ob causam, quoniam non hominibus sed a veterinarioris equis aliisque brutis tantummodo exhibitur, unde etiam a Germanis dicitur ROSSALOE. Adjungitur his aloes speciebus præterea alia species, quam nominant aloen foetidam seu caballinam, quæ iterum in puram seu hepaticam & folidam seu caballinam dividitur. Illa denique aloe, quæ clara pura & pellucida apparet instar vitri antimoniī, dicitur ALOE LVCIDÆ, & hæc omnium est optima, sed rarissima & carissima.

## §. II.

**De characte-**      ALOE SOCCOTRINA his præ reliquis aloes speciebus  
              ribus aloes gaudet characteribus: puritate, nitore & pelluciditate reli-  
              succotrinæ quis aloes speciebus antecellit, adeoque lucidæ aloes nomine  
              digna est §. I. Rarioris & minus densæ præterea est texturæ,  
              non nimis densa & solida, fractu facilis, friabilis, in mani-  
              bus lentescens, fulva subrubra seu ex purpureo rufescens, in  
              pulverem trita subluteo ac fere aureo colore instar croci ni-  
              tens, sapore valde amaro & simul aromatico, odore gravi  
              sed non adeo ingrato & nauseoso & ad myrrham accedente  
              prædita. Ex insula Soccotra in coriis ad nos transportatur.

## §. III.

**De planta,**      Teste JOANNE COMMELINO & SAMUELE DALE  
              quæ aloen in sua PHARMACOLOGIÆ SUPPLEMENTO ALOE SVCCO-  
              TRINA

TRINA non ex eadem, ex qua hepatica & caballina, elic-  
tur planta. Dicitur hæc, quæ aloen succotrinam suppeditat, largitur.  
planta aloe succotrina angustifolia spinosa flore purpureo  
**BREYN.** 2. PRODRON. COMMELIN. HORT. AMSTEL.  
RARIOR. 91: aloe Indiæ orientalis ferrata sive succotrina ve-  
ra floribus phœniceis HORTI BEAVMONT: aloe Americana  
ananae folio floribus suaverubentibus PLVCKN. PHYTHO-  
GRAPH. tab. 240. fig. 4. Folia transversim secta succum emit-  
tunt luteum atque amarum, qui odore gratior est quam vul-  
garis aloes succus. Ex foliis a radice avulsis manu vel in-  
strumento leviter compressis succus destillat in vas recipiens.  
Subsidere debent partes crassæ per noctem, aliae vero super-  
natant. Postero die in aliud vas infundunt & calori expo-  
nunt, ut concrescat & exsicetur, & tunc fulvum acquirit  
colorem.

§. IV.

ALOE HEPATICA non tam pura splendens & translu- De charakte-  
cida est quam succotrina, color ejus ad hepatis colorem ac- ribus aloes  
cedit & magis ad nigredinem vergit, consistentia gaudet hepaticæ,  
magis densa & arida, ponderosior est, odore quoque gau-  
det ingratiiori & graviori & sapore intensius amaro.

§. V.

Extrahitur ALOE HEPATICA ex planta, quæ dicitur De planta,  
a TOURNEFORT & CASPARO BAUHINO ALOE VUL- que aloen  
GARIS, a JOANNE vero BAUHINO & DODONÆO sim- hepaticam  
pliciter ALOE, a LOBELIO SEMPER VIVUM MARINUM, largitur.  
a COLUMELLA SEDUM AMARUM, & ab aliis SEMPER-  
VIVA INDICA. Crescit hæc planta in Oriente & Occi-  
dente & succus ejus non solum in plurimis Indiarum locis  
ut Cambaia, Bengala paratur, sed etiam in plurimis Amer-  
icæ regionibus ut regno Mexicano, nova Hispania, Brasilia,  
Barbadensibus insulis &c. Folia discissa & contusa in vas  
oblongum & cylindriforme reponunt per dies viginti quin-  
que. Spuma in altum tollitur inutilis & abjicienda, supe-  
rior succi pars a fecibus separatur & solis calore condensa-

tur in aloen hepaticam, feces vero in fundo vasis collectae & inspissatae impurum constituunt extractum, quod dicitur aloe caballina.

## §. VI.

De characteribus aloes  
caballinæ.

**ALOE CABALLINA** odore suo valde nauseoso atque ingratu a ceteris aloes speciebus facile distinguitur. Quis quiliis variis terra arena lapillis &c. inquinata, & prioribus aloes speciebus longe impurior, crassior, densior, ponderosior & nigrior, saporis magis amari & nauseosi esse solet, nonnunquam tamen adeo pura preparatur, ut a succotrina nonnisi odore tetro possit distingui.

## §. VII.

Bauhini &  
aliorum sen-  
tentia de va-  
riis aloes spe-  
ciebus.

**BAUHINUS** tres aloes species ex una eademque planta extrahi & præparari putat, modum præparandi hoc modo describens: *Plantam in frusta dissectam & contusam in vas oblongum reponunt per viginti quinque dies, ubi spuma attollitur inutilis & abjicienda, tum mediante concha superior pars succi demitur, donec diversitas succi appareat. Succus autem ille purior concretus aloe succotrina dicitur, succus vero, qui remanet & paulo obscurior est, aloen hepaticam efficit, feces seu crassamentum in aloen caballinam indurescit.* Hujus ad sententiam multi accedunt & inter hos præcipue TOURNEFORT, qui in MATERIA MEDICA inquit: addidici ex HERMANNO PROFESSORE BOTANICES LEIDENSI, servos in provinciis orientalibus exprimerre folia aloes manibus in vas aliquod, postridie vero mediante concha margaritifera separare succum supernatentem, qui in peculiari contentus vase aloen constituit puriorem, tertio die tollere rursus alium succum, qui inspissatus aloen constituit hepaticam & ex remanentia præparari aloen caballinam. Recentiores vero & inter hos præcipue illustris GEOFFROY in TRACTATU SUO DE MATERIA MEDICA Tomo II. pag. 650. plantam aloen, e qua aloe succotrina præparatur, non esse eandem, e qua aloe hepatica & caballina elicetur, afferit.

## §. VIII.

§. VIII.

Variæ quoque plantæ aloes species in Germania colun-  
tur ibique in principum, magnatum & botanicorum hortis plantæ aloen  
reperiuntur, sed talem non largiuntur succum, qualis ab ex-  
teris ad nos adfertur regionibus, saltim is, quem suppeditant,  
succus tanta non gaudet bonitate præstantia ac virtute,  
quanta ille, qui ab exteris ad nos transmittitur. In orien-  
talibus vero iisque calidioribus regionibus ex foliis & radi-  
cibus incisis ac fauciatis succus exstillat vel sponte vel acce-  
dente expressione, qui dein calore in maslas condensatur,  
facile vero est collectu, succum violenter expressum vilio-  
rem atque impuriorem suppeditare aloen; id quod etiam re-  
vera sic deprehenditur.

§. IX.

ALOE CABALLINA non adhibetur in medicina sed so- De selectu  
lis veterinariis ad brutorum usum relinquitur, aloe vero suc- aloes ad  
cotrina & hepatica ad usum medicum tum externum tum in- usum medi-  
ternum expetitur. Nonnulli aloen hepaticam succotrinæ an- cum.  
teponendam esse autumant, sed generatim est notandum,  
quod aloe ad usum medicum eligenda sit purissima nitens  
pellucida, non nimis nigra sed fulva rufa & in pulverem  
trita subluteo & fere aureo colore instar croci nitens, levis,  
non nimis densa & solida, fractu facilis, friabilis & facile sol-  
ubilis, saporis valde amari & odoris minus ingrati & nau-  
seosi & fere ad myrræ odorem accendentis. Si aloe has  
possidet qualitates, nihil refert, quomodo nominetur, sive  
hepatica sive succotrina & habeatur pro succo sive extracto,  
sufficit, quod aloe his qualitatibus prædicta ad usum medicum  
sit aptissima. Quo minus vero hæ qualitates in aloe depre-  
henduntur, eo inferior est bonitate, & tñ nigra, solida &  
fractu valde contumax est, plerumque est adulterata nec usui  
inservit medico. Quidam odorem aloes valde nauseosum  
atque ingratum pro ejus nota bonitatis habent, alii vero  
iisque longe plures majori jure contrariam tuentur sententiam,  
interea tamen hoc verum est, aloen, qualis in officinis pro-  
stat, odore adverso atque ingrato esse præditam.

A 3

§. X.

## §. X.

*Analisiscus* Vna uncia aloes, teste celeberrimo CARTHEUSERO in  
*mica aloes.* FUNDAMENTORUM MATERIAE MEDICÆ parte priori pag.  
 552, primum aqua simplici, posteaque, quoad residuam scilicet  
 partem, spiritu vini rectificatissimo extracta quinque  
 fere drachmas substantiae gummosæ & tres circiter drachmas  
 substantiae resinosa largitur, caput mortuum terreum, quod  
 in vitris ac filtro remanet, pauca duntaxat grana pender.  
 Clarissimus BOULDUC, Regiae Parisiensis scientiarum academiæ  
 socius in Historia ejusdem academiæ demonstravit par-  
 tem resinosa & gummosa quoad maximam partem &  
 perparum substantiae terrestris in aloe hepatica & succotrina  
 contineri, ita tamen, ut aloe succotrina minus resinæ & plus  
 substantiae gummosæ quam hepatica possideat. Idem Auctor  
 asserit, se experientia compertum habere, quod pars aloes  
 resinosa vi purgante gaudeat & quidem vehementiori, si a  
 parte resinosa fuit separata, & succotrina fortius purget  
 quam hepatica. Adscribit quoque aloæ succotrinæ majorem  
 partium activarum & volatilium copiam quam hepaticæ has-  
 que partes in hepatica a resinosis partibus debite temperari  
 non item in succotrina atque hepaticam utpote magis tem-  
 peratam & longe majori partium balsamicarum copia dona-  
 tam succotrinæ ad usum tam internum quam externum lon-  
 ge anteponendam esse cum multis aliis statuit. Clarissimus  
 NEUMANNUS, uti in ejus Chemiæ Mediceæ Dogmatico-  
 experimentalis a Dom. D. Kessel editæ Tom. II. Parte I. pag.  
 64. legitur, libram unam aloes in spiritu vini solvit & im-  
 pe-  
 travit ex hac libra aloes extracti resinosi circiter uncias quin-  
 decim, ex residuo extracti aquosi circiter drachmam unam  
 remanente parte non dissoluta terrestri. Deinde cum aloes  
 libra una instituit extractionem aquosam & hac ratione libra  
 una aloes largita fuit tredecim uncias & dimidiam extra-  
 cti  
 aquosi & unciam integrum & dimidiam extracti resinosi. In  
 libra aloes integra, teste eodem viro celeberrimo, contine-  
 tur circiter uncia una substantiae terrestris, reliquæ vero  
 unciae

unciæ quindecim sunt omnes solubiles, & principium gummosum & resinosum tam intimo connubio sibi invicem mixta atque unita sunt, ut tam aquoso quam spirituoso menistruo aequæ facile extrahi possint. Ex omnibus his experimentis patet, quod aloe constet ex parte non gummosa solum & resinafia sed etiam saponacea fixiori. Fac enim, aloen continere solummodo partem gummosam & resinosam, id est, partem, quæ vel in aqua vel in spiritu vini rectificatissimo tantum solubilis est §. CLXXXV. Part. I. Sect. III, tunc neque spiritus vini neque aqua tantam partium copiam ex aloe extrahere potuisset. Hujus vero rei contrarium cum contigerit, manifesto apparet, aloen continere sat magnam copiam partium tam in aqua quam spiritu vini rectificatissimo simul solubilium, id est, saponacearum fixorum §. CLXXXV. Part. I. Sect. III. Partium harum proportio variat pro aloes diversitate & vix in genere determinari potest.

## §. XI.

Sapor aloes valde amarus copiosiora salia illi' inesse manifeste docet §. CCXXVIII. Sect. IV. Part. I, & odor, partitum fulquem spargit, sat fortis non idem solum confirmat sed eadem phurearam etiam, saltim quoad magnam partem, volatilia & subtilia esse luculenter demonstrat §. CCXLII. Sect. IV. Part I. Odor hic tunc maxime se manifestat, si aloe coquitur. Si enim aloe nondum cocta primæ submittitur coctioni cum aqua, adeo fortem atque adversum spargit odorem, ut nauseam moveat, si vero cum eadem jam cocta nova iterum instituitur coctio, id minori gradu vel plane non efficit: id quod luculentum suppeditat argumentum, aloen maximam salium volatilium & subtilium sulphurearumque partium copiam in sinu suo recondere. Ingentem sulphurearum partium in aloe copiam praeter modo dicta patefacit quoque larga, ex qua aloe constat, pars resinosa §. præced. & §. CLXXXIX. Sect. III. Part. I, pars saponacea fixior §. præc. quæ itidem salinosulphurea est §. CXCIV. Sect. III. Part. I, nec non gummosa §. præced. quæ salino-sulphureæ indolis est §. CXCVII. Sect. III. Part. I. Cum denique

De salium &  
in aloe pre-  
sentia.

nique pars aloes tam resinosa quam saponacea fixior & gummosa ex salibus & oleoso principio constent §. CLXXXVI. CXCV. CXCVI. CXCVII. Sect. III. Part. I, eadem quoque ratione ingens salium & sulphurearum partium aloës inhærentium copia patescit. Ceterum notandum est, has modo dictas partes esse aloes partes constitutivas remotas, partium vero aloes constitutivarum proximarum proximas §. XXIX. XXX. Sect. I. Partis. I.

## §. XII.

Virtutum  
aloes a priori  
determinatio-

Virtutes aloes a priori, id est ex partibus ejus constitutivis, determinatur, five partes ejus constitutivas considereret proximas five remotas, line ullo deprehendet negotio, aloen ob insignem, qua gaudet, salium magna ex parte volatilium & subtilium & partium sulphurearum copiam §. XI. vehementi humores resolvendi, stimulandi, sanguinis & humorum motum rarefactionem turgescientiam exæstuacionem & calorem excitandi atque augendi virtute esse instrumentam atque ab hac facultatem tam purgandi quam hæmorrhagijs excitandi dependere. Si enim vasa stimulantur, humorum motus calor & rarefactio augetur, quid hæmorrhagijs facilius contingere potest? & si humores resolvuntur atque intestina simul stimulantur seu irritantur, humorum serosorum affluxus in intestinorum cavitatem augetur eorumque refluxus ex hoc cavo imminuitur, id quod non potest non purgationem producere §. XIII. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. Acria & viscida seorū & conjunctim facultatem possidere purgantem supra dedi demonstratum §. XXVI. XXVII. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. Vtramque hanc qualitatem deprehendimus in aloe, utpote quæ manifesta acri & viscida qualitate gaudet, qua de causa rem a priori considerans aloë virtutem denegare non potest purgantem, quam a posteriori experientia quoque comprobat atque extra omnem ponit dubitationem. Quatenus res a priori consideratur, aloe ob partes, quas posidet, resinosas virtute gaudet stimulante, resolvente, calefaciente & robore §. CCCCXCVII. Sect. VI, Part. I, ob partes saponaceas fixiores resolvente §. CCCC-

§. CCCCXCVIII. Sect. VI. Part. I, atque ob ingentem salium volatilium & subtilium partibus sulphureis junctorum copiam, quam §. XI. demonstravi, virtutem potenter calefacientem & resolventem §. CCCCXXXVI CCCCXXXVII. Sect. VI. Part. I. stimulantem atque ab hac dependentem virtutem humorum motum augentem resolventem calefacientem atque secreciones & excretiones augentem §. CCCCCVIII. Sect. VI. Part. I; nam quo subtiliora & volatiliora salia sunt, eo majorem exercere possunt virtutem §. CCCCXXII. Sect. VI. Part. I. Quis igitur non vider, in aloë, quatenus res a priori tantum consideratur, prædominari virtutem resolventem atque attenuantem, stimulantem, sanguinem & humores commoventem atque exagitantem & calefacientem atque ab his virtutibus reliquas, si non omnes saltim plerasque dependere? Pars gummosa aloës salium ipsi inhærentium virtutes reliquasque his superstructas imminuit §. CCCCLXXIV. Sect. IV. Part. I, vi vero visciditatis suæ ad purgationem concurrit §. XXVII. Cap. I. Sect. I. Lib. Part II.

### §. XIII.

Terrestres, quæ aloëe insunt, partes §. X. salium quoque aloëe inhærentium §. XI. virtutes moderantur atque infringunt §. CCCCXXVIII. Sect. VI. Part. I, fibrarum humidum absorbendo earumque interstitiis fœse apponendo majus iis conciliant robur §. XVII. Sect. I. Part. I. §. CCCLXXI. CCCLXXVI. Sect. V. Part. I, denique cohaerendo cum partibus aloës & corporis humani sulphureis eas ad resolutiōnem atque ignearum particularum liberationem reddunt ineptas & sic calorem moderantur. Porro, cum copiosa ista salia, quæ aloen ingrediuntur ejusque partem resinosa, saponaceam gummosam & substantiam acrem volatilem §. XI. constituunt, sint acida §. CLXXXVI. CXCV. CXCVII. Sect. III. Part. I, acida vero roborent §. CCCCLXX. Sect. VI. Part. I, aliud patet virtutis aloës roborantis fundamentum a priori, quod num sit *je*xperientiæ quoque superstructum atque in ea fundatum, infra examinabo, ubi de virtutibus

Nicolai mat. med. P. II da.

B

aloës

Demonstra-  
tio virtutis  
aloës robo-  
rantis alia-  
rumque ejus  
virtutum a  
priori.

aloes a posteriori determinandis agam. ET MÜLLERUS HERMANNUS JUNCKERUS aliique in parte aloes resinosa virtutem ejus roborantem tonicam, in gummosa vero purgantem & laxantem vim potissimum residere contendunt, quod posterius CLARISSIMUS quoque BOULDUC confirmat. Eadem ob causam, quoniam nimirum aloe magnam salium acidorum copiam continet, quæ putredini resistere noto notius est, aloæ virtus putredinem impediens atque abarcens est tribuenda.

#### §. XIV.

Demonstra-  
tio virtutis  
aloes purgan-  
tis a priori.

Omnis partes aloes, si a priori considerantur, terreis exceptis, ad purgationem suum conferunt, quamvis non æquali gradu. Sive enim consideretur pars aloes gummosa tive resinosa sive saponacea fixior sive pars salina volatilis, quamlibet humores resolvendo vel vi acrimonie sue intestina stimulando vel vi visciditatis ductus & vasa intestinorum obstruendo & sic humorum affluxum augendo eorumque refluxum impediendo vel hæc seorsim vel conjunctim efficiendo ad purgationem concurrere patebit §. XXV. XXVI. XXVII. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. §. X. XI. XII. hujus capit is, facile autem appareret, hanc partem aloes præ reliquis vehementius, majori cum dolore atque incommodo purgare faciliusque sanguinem ex intestinorum vasis elicere, quæ præ reliquis majori acrimonia vel visciditate vel utraque hac qualitate eminet §. XL. XLI. Cap. I. Lib. I. Part. II, quænam vero sit ista pars aloes ejusmodi qualitatibus prædicta, num resinosa, an gummosa, de eo medici adhuc valde inter se dissentunt, uti id ex CLARISSIMI BOULDUC sententia appetat, cui alii multi refragantur §. X.

#### §. XV.

Demonstra-  
tio virtutum  
aloes a poste-  
riori.

Consideratis haec tenus virtutibus aloes, quantum a priori cognosci & determinari possunt, pedem nunc promoveam atque ea experientia testimonio omnium locupletissimo confirmare atque corroborare annitar. Virtutem aloes purgantem, humores & sanguinem commoventem atque exagitantem

tem nec non calefacientem, cuius rationem supra ex partibus aloes partibus constitutivis demonstravi §. XI - XIV. experientia docet quotidiana & medici tum veteres tum recentiores uno ore confirmant, e quibus instar omnium tantum ILLUSTREM b. m. HOFFMANNUM a) & FERNELIUM b) adduxisse sufficiat. Virtutem haemorrhagias excitandi & promovendi, quae vi partium constituentium aloë est attribuenda §. XII, non minus testis est experientia, qua comperatum habemus, aloes usum, præcipue largum vel diuturnum, sanguinis in valis haemorrhoidalibus accumulationem efficerre, haemorrhoidum lochiorum & mensium fluxum excitare, foetum & secundinas pellere. De virtute aloes robore, quam supra ex partibus ejus constitutivis deduxi §. XIII, unanimi quoque consensu auctores medici nos reddunt certiores. DIOSCORIDES aloen mixtam cum aliis purgantibus stomacho ea minus noxia reddere refert. GALENUS Lib. VI, de simplicium medicamentorum facultatibus statuit eam gratam stomacho ut si quid aliud. Idem sentit PAULUS AEGINETA, qui omnia, inquit, purgantia esse stomacho inimica, solam vero aloen ipsi gratam. MESUE quoque luculentum salutaris aloes virtutis affert testimonium. Aloen enim commendat & extollit ut medicinam purgantem ceteris longe præstantiorem, quae tantum abest, ut corpus debilitet, ut alia purgantia, ut potius illud roboret, aliorum purgantium vitia emendet eorum laesionibus medeatur atque effectus juvet. Alii denique aloen salutaris naturæ balsami titulo ornarunt, qui humores naturales conservat, præternaturales evacuat, medios emendat & universos putrefieri & corrumpi prohibet: unde trium illud adagium:

*Qui vult vivere annos Noae, sumat pilulas de aloe.*

§. XVI.

De virtute potenter resolvente, qua aloen instructam Demonstra-  
esse ex partibus ejus constituentibus demonstravi §. XII, non tio virtutis  
est,

B 2

aloes resol-

a) Medic. Ration. Systemat. Tom. III. Sect. II. Cap. V. §. Corall.  
præt. V.

b) Lib. III. Method. medendi cap. 9.

vantis putre- est, quod multa experientiæ & auctorum testimonia afferam, dini resisten- sed sufficiat, instar omnium allegare magnum BOERHAVE tis anthel- & illustrem GEOFFROY. Ille in TRACT. DE VIRIBUS minticæ alia- MEDICAMENTORUM edit. Paris. pag. 275. aloen saponem rumque ejus virium a po- egregium nominat, hic vero eam crassos tenaces viscidos sterio. pituitosos incidere resolvere atque attenuare viscerumque obstruktiones referare in *Materie medice Tomo II.* pag. 658. 662. afferit. Virtutem aloes putredini resistenterem §. XIII, testi- monio suo confirmant laudatus GEOFFROY loc. cit. Excel- lentissimus CARTHEUSERUS in *Fundamentorum Materie me- dice Parte I. Sect. X. cap. X. §. V.* aliisque. Virtus quoque aloæ attribuitur balsamica vulneraria vulnera & ulcera mun- dificans abstergens consolidans & ad cicatricem perducens, quæ fine dubio a virtute ejus putredini resistente resolvente & roborante seu tonica est derivanda. §. CCCCLIX. CCCCLXI. Sect. VI. Part. I. Præter has jam recensitas vir- tutes teste ratione atque experientia antihelmintica quoque virtus aloæ competit, tum, quod vermes purgationem exci- tando expellit §. CCCCLI. Sect. VI. Part. I. & §. XII. XIV. XV. hujus capitis, tum, quod vermes necat, quod posterius ope virtutis resolventis §. XII, qua viscidum vermium nutri- mentum destruit §. CCCCLIV. Sect. IV. Part. I, item vi prædominantis qualitatis salinæ, qua eorum corpora destruit §. CCCCLIII. Sect. VI. Part. I. & vi visciditatis, qua eorum corpora obducendo transpirationem impedit §. CCCCLII. Sect. VI. Part. I, præstat.

## §. XVII.

**Refutatio**  
erroris de  
noxia aloes  
qualitate.

Per multi, quorum præcipui sunt CARDANUS & SCA-  
LIGER, aloes usum e foro medico proscribendum esse con-  
tendunt, ob multa magna & gravia damna, quæ ejus usum hominibus attulisse sibi persuadent, neque negari potest, aloen saepenumero funestos produxisse effectus. Verum enim vero probe simul est considerandum, malorum, quæ ab aloes usu proficiuntur, culpam non semper ipsi aloe, utpote quæ innocuum & salutare est remedium, sed potius impro-

improviso atque imprudenti ejus usui atque abusui esse imputandam, quin infra clarissime apparebit, aloen si non cum debita cautione & circumspecta circumstantiarum consideratione adhibetur, pessimos edere effectus, id quod plane non est mirandum, cum eodem modo cum omnibus aliis innocuis atque optimis remediis sit comparatum, utpote quæ, si imprudenter usurpantur, non utilitatem, sed damnum inferunt.

### §. XVIII.

Cum aloë virtute gaudeat stimulante sanguinem & humores valde commovente atque exagitante nec non calefaciente & hæmorrhagias excitante §. XII. XV, prona hinc sit & noceat fluit consequentia, quod subjectis plethoricis, teneroris & sensibilioris texturæ, in sanguinis rarefactionem exæstuationem & hæmorrhagias proclivibus vel hæmorrhagiis obnoxiiis, cholericæ siccioris & calidioris constitutionis, quorum viscera sunt præfervida & sanguis ad exæstuationem & rarefactionem pronus est, gravidis, phthisicis, febre acuta afflitis atque id genus aliis noceat ejusque usu in his subjectis abstinere consultius sit, vel, si hoc fieri nequeat, saltim ea refracta in dosi, aliorum idoneorum remediiorum commixtione temperata & correcta debitaque cum cautione sit adhibenda. E contrario aloë magis convenit corporibus plegmaticis, humidis, frigidis & cachecticis, &, cum virtute instructa sit laxante, resolvente, aperiente, obstructiones restringente, hæmorrhagias promovente, tonica & roborante §. XIII-XVII, in viscerum obstructionibus, partium solidarum atonia, hæmorrhoidum & mentium suppressionibus & morbis hinc oriundis salutari cum effectu usurpari potest.

### §. XIX.

Hodie aloë non cruda sed correcta seu, si malueris, præparata ad usum medicum internum adhiberi solet. Quum enim multiplici experientiae fide comprobatum fuerit, aloen plurimos funestos ac perniciosos effectus vi partium suarum, quibus inest virtus valde stimulans, humores vehementer

De præparacione seu correctione aloes.

commovens atque exagitans eorumque exæstuationem rarefactionem & calorem inducens, prōduxisse, has partes a reliquis separare tentarunt talique modo præparatam seu correctam aloen ad usum internum, præcipue purgantem, adhibuerunt medici. Quæstio ergo oritur, quænam sint partes aloes modo dictis proprietatibus præditæ, & quæ reliquis virtute purgante excellant utrum resinosa, an gummosa an saponaceæ? *Clarissimus Boulduc*, uti scribit loco citato, experientia compertum habuit, partem aloes resinosam vi purgante fere destitui, gummosam vero solam eam exserere & quidem vehementius, si a substantia resinosa fuit separata, & omnes fere auctores uno velut animo & voce una fatentur, partem resinosam qualitatibus, de quibus hic sermo est, nimirum calefaciente & humores commovente esse præditam & præcipuum memoratorum effectuum causam atque originem, quam ob rem eam a reliquis aloes partibus liberare & hoc modo aloen usui interno, præcipue purganti, aptiorem reddere allaborarunt, & variis ad hunc obtainendum scopum methodis usi fuerunt, quarum præcipuas atque usitatas adducam.

## §. XX.

Continuatio  
de correctio-  
ne seu præ-  
paratione  
aloes.

Plurimi aloen ad partem ejus resinosam a gummosa se-  
parandam in aqua coquunt calida, eam ob rationem, quo-  
niam aqua solvit tantum partem aloes gummosam, resinosa  
vera intactam relinquit, solutionem aqueam, quæ par-  
tem gummosam continet, evaporationi subjiciunt inspissant  
atque usui asservant. Quamvis vero certum sit, hac ratione  
impetrari partem aloes gummosam a resinosa ejus substanci-  
a liberatam, nihilominus tamen simul probe consideran-  
dum est, partem aloes gummosam coctione substantiam  
suam salinam volatilē, quæ magnam virtutis parti gum-  
mosæ propriæ partem continet, amittere. Hoc alii evitá-  
turi coctionem aloes cum aqua calida non instituunt, sed  
tantum aloen cum aqua calida vel frigida macerant & sic par-  
tem gummosam a resinosa separare tentant. Aquam succo  
citra

citri vel alio modo blande acidulatam adhibent hacque frigida affusa loco tepido ad extrahendum reponunt, tamdiu repetita affusione, donec resinam fusco rubente colore exutam observent & nihil vel parum admodum in affusum menstruum recipi videant. Verum enim vero, siue coctio siue maceratio aloes cum aqua instituatur, aqua partem aloes non gummosam solum sed saponaceam etiam fixiorem solvit atque in se recipit §. X, &, cum pars saponacea fixior æque ac resinosa virtute sanguinem valde commovente & calefaciente polleat, haec partis saponacea virtus solutione aquæ ab aloe non separatur sed ei inhærens atque immersa manet. Dum igitur aloe in aqua solvitur, imminuitur quidem aloes virtus humores valde commovens atque exagitans & calefaciens ob partem resinosam hujus virtutis causam separatam sed non plane ab aloe auffertur ob partem saponaceam fixiorem eadem virtute præditam ab aloe solutione aquæ non segregatam, interea tamen solutio aloes aquæ cum vel sine coctione ad separandam ab aloe partem resinosam aloesque virtutem calefacentem & humores commoventem imminuendam usurpari potest. Si vero sola pars aloes gummosa ab aliis ejus partibus separata desideratur, consultius esse duco, aloen extrahere ope spiritus vini bene rectificati; hic etenim partem aloes resinosam & saponaceam fixiorem solvit, gummosam vero relinquit intactam, quæ dein in aqua soluta leni calore inspissari atque in extracti formam redigi potest. Si vires aloes, præcipue virtutem ejus calefacentem atque commoventem, infringere animus est, longior atque intensior decoctione id faciet, si vero resinosa aloes pars a gummosa, in qua vis purgans maxima residet, separata desideratur, utendum est extractione aquæ vel cum spiritu vini a phlegmate, quantum fieri potuit, repurgato, plurimi tamen aloen coctioni aquæ submittere vel eam frigida aqua succo citri vel alio quoconque modo acidulata solvere & deinceps biando calore inspissare solent, atque talem gummosam aloen maxime experti & laudari videmus ab illustri *Stablio* & viris ab eo deductis. Excellentissimus *Cartheu-*

*serus*

*serus* in fundamentorum Materiæ medicæ Parte I. Sect. X. cap. X. §. IV. scribit: quando aloe succo citri aut acero destillato extrahitur, extracta mitiora ac longe securiora evadunt, quoniam menstruis hisce soluta pars gummosa tenerior nonnihil figitur & magnopere contemperatur, quibus accedit, quod substantia gummosa parte resinosa teneriori intime remixta longe melius quam sola pars resinosa aut sola pars gummosa alvum moveat. Denique silentio non est pretereundum, meum olim olim præceptorem, ILLUSTREM b. m. HOFFMANNUM ad partem resinosam aloes separandam leni coctione aqua usum fuisse. Aloe quoque usta a quibusdam expetitur, ut virtutem ejus tonicam & roborantem adipiscantur concentratam, sed inutilis est & rejicienda hæc præparatio, quæ aloes substantiam destruit atque immutat, non emendat.

## §. XXI

De dosi  
aloes.

Plerique nostri ævi medicorum uno ore inculcant aloen minori dosi longe salubriorem, quam, si veterum exemplo integras drachmas devorandas præbeamus. Vix sola sed fere semper cum aliis convenientibus remediis commixta exhibetur, & quidem, ut valde amara & nauseosa ejus qualitas eo melius occultetur, in forma pilulari. Pro dosi ordinaria sufficiunt grana tria vel quatuor, si lenior effectus desideratur, si vero largiori & fortiori opus est purgatione, dolin aloes ad grana decem vel quindecim augere possumus. Celeberrimus SCHULZIUS in Praelectionibus ad Dispensatorium Regium & Electorale Borusso-Brandenburgicum scribit: mere eccoproctico scopo grana duo vel tria aloes, in coena deglutita, sufficiunt: quin aliquibus unum satisfacit. Novi, pergit, practicum, qui apud nobilem podagricum, paroxysmo morbi detentum, magnam gratiam init aloe gummosæ unico grano vesperi quotitie dato: quod alvum per totum morbi decursum apertam servando doiores longe, quam antea, tolerabiles reddidit. Notandum est, ea quæ modo de dosi dixi, de aloe correcta seu præparata esse intelligi.

telligenda & aloen crudam semper minori dosi esse præscribendam quam correctam, eam ob causam, quoniam illa hanc virtute superat. Præterea silentio hic præterire nequeo communem opinionem, quæ multis hucusque medentibus fuit recepta atque eorum calculis comprobata, quamque experientiae testimonio comprobare volunt, aloen sive crudam sive correctam, minori dosi propinatam, tantam alvi purgationem, quantam majori dosi adhibita, efficere. Si in hoc asserto de diversis circumstantiis sermo est, illud concedo & pro vero habeo, si vero eadem ponuntur circumstantiae, fallum esse judico, quicquid alii proferant contrariam tuentes sententiam, his rationibus nitens. Experientia vera sanæ rationis veritatibus legitime demonstratis repugnare nequit. Jamvero veritas est certa atque extra omnem dubii aleam posita, medicamentorum virtutes esse in eadem cum eorum dosibus ratione, omnibus reliquis circumstantiis positis iisdem, id est, eo majorem producere effectum, quo major eorum est dosis sub modo dicta hypothesi. Qua de re etiam aloë eo majorem exferere debet efficaciam, quo major ejus est dosis, reliquis omnibus circumstantiis positis iisdem. Si vel maxime igitur experientia doceret, datam eidem subiecto aloen modo majori modo minori dosi semper æqualem produxisse effectum, minime tamen exinde concludi potest, quod minor aloës quantitas cum majori gradu æqualem exferat virtutem sub allegata hypothesi, sed certum est atque indubitatum, hoc in casu circumstantias in eodem subiecto fuisse diversas. Fac enim, eidem subiecto sub iisdem circumstantiis æqualem porrigi aloës quantitatem, non potest non æqualis sequi effectus, fac porro, eidem subiecto modo majorem modo minorem propinari aloës quantitatem sed sub iisdem circumstantiis, fieri nequit, quin major dosis majorem & minor minorem producat effectum: omnis enim vis sub iisdem circumstantiis æqualem debet producere effectum & vel majorem vel minorem, prout ipsa vel major est vel minor.

## §. XXII.

**D**e præpara-

Viri ab omne laude feliciores, BECCHERUS STAHLI-  
tione pilula-  
us & HOFFMANNUS aloen correctam non solum ad usum in-  
rum balsami-  
carum, quas  
aloe correcta  
remediorum proportione, præpararunt pilulas balsamicas  
angreditur. polychrestarum titulo ornatæ, magnum nomen atque com-  
mendationem naætas, hodierno adhuc ævo usitatissimas. Me-  
dendentium facile princeps, beatus HOFFMANNUS, pilulas suas  
balsamicas ex parte una aloes leni coctione aquæ antea pro-  
be depuratæ cum sex vel octo partibus extractorum herba-  
rum amararum balsamicarum & gummi-resinarum commixta  
confecit. Extracta, quibus ad hunc usus fuit finem, fuerunt  
extraæta absinthii, cardui benedicti, cochleariaæ, fumariaæ,  
rutæ, centaurii minoris, & id genus alia, ex gummi-  
resinis ad usum selegit myrrham electam, succinum, gummi-  
hederæ, gummi juniperi & benzoen. Parum refert, ut ego  
judico, sive de hac vel illa gummi-resina de hoc vel illo ex-  
tracto paululum plus vel minus recipiatur quam de alio,  
dummodo extracta non sint combusta sed bene præparata &  
satis efficacia. Alii veris ac solidis laudibus abundantes viri,  
Stahlii dogmata sequentes, pilulas suas hoc præparant modo  
æque egregio nec contemnendo:

Recipe aloes gummosæ

myrræ elect.

gummi juniperi

hederæ ana scrupulum unum

extract. absinth: vinos.

card. bened. vinos.

cochlear. aquos. ana grana sedecim

fumar. vinos.

centaur. min. vinos.

helleb. nigr. aquos. ana grana octo

terebinth. leniter coct. scrupulum dimidium

pulv. rad. jalapp. drachmam dimidiam

Misceantur, fiant lege artis pilulæ ex scrupulo  
uno viginti.

Mirari

Mirari satis non possum, cur genuinæ pilularum balsamica-  
rum compositiones BECCHERI, STAHLII & HOFFMAN-  
NI adeo expetantur atque operose & saepe insignibus cum  
sumtibus conquerantur. Evidem non nego, unam harum  
pilularum præscriptionem alteri præstare eique esse antefer-  
rendam, verum hoc tantum urgeo, quemlibet materiæ medi-  
cæ & artis concinnandi formulas peritum pilularum balsami-  
carum compositionem efficere posse Stahlii Hoffmanni &  
Beccheri compositioni præstantia non cedentem, quamvis  
non pauci, quod maxima reprehensione dignum est, suæ in-  
ter arcana habendæ compositioni famam ac fidem sibi lucro-  
sam comparare soleant. Non opus esse judico, multis com-  
memorare ejusmodi pilularum virtutes jam satis cognitas &  
commendatas, sufficiat, brevibus duntaxat attingere, virtute  
laxante, resolvente, viscerum obstrunctiones referante, tonum par-  
tium roborante & circuitum sanguinis inordinatum in ordinem  
redigente esse prædictas eamque ob causam in subjectis & mor-  
bis fere omnibus, præcipue vero affectibus sic dictis chronicis,  
malo hypochondriaco & hysterico, lochiorum mensium  
& haemorrhoidum suppressione vel non sufficiente fluxu ma-  
xima utilitate se commendare.

### §. XXIII.

Inter præparata ex aloe eminent aloe depurata seu lota De præpara-  
tione insuccata. Aloe depurata seu lota præparatur solvendo tis ex aloe,  
aloen socotrinam in aqua fontana simplici cum vel sine speciatim de  
coctione, solutam filtrando & ad extracti formam inspissan-  
do, unde potius nomen extracti, quam quod gerit, mere-  
tur. Virtutes ejus facile ex dictis §. XX. XXI. determinari  
possunt. Parte resinosa & virtutibus competentibus,  
ut vi humores valde commovente calefaciente stimulante,  
est privata, partis vero gummosæ & saponaceæ, quæ utræ-  
que in aqua sunt solubiles, virtutes possidet §. XX. XXI. Mi-  
nor ergo pollet virtute stimulante commovente & calefacien-  
te quam cruda §. XXI, &, si coctio instituitur, omnibus  
privatur virtutibus, quæ a partibus sub ea ayolantibus pro-  
ficiuntur §. XXI.

C 2

§. XXIV.

## §. XXIV.

De aloe in-  
succata ejus-  
que specie-  
bus.

*Aloes insuccatio*, quam alii nutritionem vocant, est illa succata ejus aloe preparatio, qua cum succis vegetabilium miscetur & tali modo preparata aloe dicitur *insuccata*. Duplicis est generis vel *succis tantum imprægnata* vel *in succis soluta*. Illa fit aloen in tota substantia commiscendo cum succo vegetabilium & hanc mixturam evaporatione leni inspissando, & cum succi vel singulorum vegetabilium seorsim vel plurium coniunctim ad hoc adhiberi possint, commode dividi potest in *simplicem & compositam*. *Aloe insuccata simplex*, quæ succis tantum est imprægnata, iterum est vel *rosata* vel *violata*, prout succus rosarum vel violarum usurpat. Ad *aloen insuccatam compositam ejusdem speciei* pertinet sequens, quæ in Dispensatorio Regio & Electorali Borusso-Brandenburgico *descripta* est:

Recipe aloes succo rosarum solutæ & inspissatæ libram  
unam,

succi rosarum

violarum purpurearum

borraginis

buglossi ana quantum sufficit,

Imbibatur & denuo exsiccatur usuique servetur.

Nititur hæc preparatio prisca quadam persuasione, tanquam aloe hepar laedit, quam ob rem etiam quatuor hi succi adjeti esse videntur. Si aloes insuccatae in Dispensatorio Regio & Electorali Borusso-Brandenburgico descriptæ unciæ sex cum tremoris tartari unciis duabus miscentur, oritur *aloe insuccata tartarisata*, &, si aloes violatæ libra una miscetur cum tremoris tartari libra dimidia, mixtum hoc appellatur *aloe violata tartarea*. Denique *aloe insuccata soluta* preparatur, si aloe in succo vegetabilium solvitur & hæc solutio inspissatur.

## §. XXV.

De virtute  
aloes insuc-  
cate.

*Aloe insuccata succis tantum imprægnata* virtutes aloes retinet, si ab iis discesseris, quæ sub inspissatione pereunt, novasque acquirit ab additis succis pro eorum diversitate varias.

varias. Generatim verum est, succos, quatenus se interponunt aloes partibus, eas disjungunt separant circumdant atque in majus distribuunt spatum, virtutes aloes imminuere atque immutare. Aloe infuscata soluta continet virtutes partium aloes gummosarum & saponacearum fixiorum & quæ a succo addito accedunt, ute pote qui virtutes aloes quoque imminuit atque immutat, uti jam dictum fuit, partis vero resinosæ aliarumque, quæ sub inspissatione abierunt, partium virtute est privata. Ex his igitur liquet, quod aloe infuscata ejusque species majori dosi & saepius usurpari possint quam aloe cruda. Dantur ad grana decem & ultra, sed tutius & consultius est, eas in minori quam majori adhibere dosi.

## §. XXVI.

Ex aloe præparatur extractum ope vel spiritus spini vel Extractum aquæ. Illud est extractum aloes resinosum, quod etiam balsamum aloes vocatur, hoc aquosum seu gummosum. Extracti aloes resinosi virtus ex partium resinosarum & saponacearum fixiorum in spiritu vini rectificatissimo solubilium virtute aquosi vero virtus ex virtute partis gummosæ & saponaceæ fixioris in aqua solubilis est determinanda, si eas exceperis partes, quæ sub inspissatione abierunt, & hoc nihil aliud est quam aloe depurata, uti ex præparandi modo patet §. XXIII, Idem tenendum etiam de extracto aloes succotrine Quercetani quod in Dispensatorio Regio & Electorali Borusso-Brandenburgico descriptum est, quippe quod nihil aliud est quam extractum aquosum seu aloe depurata §. XXIII. Si ope aceti destillati & aquæ rosarum aloe extrahitur atque extractio inspissatur in formam extracti, hoc nominatur extractum cholagogum Andernaci. Præterea ingreditur quoque aloe extractum catholicum, marocoſtinum & panchymagogum Charas, Electuarium hieræ picræ simplex seu de hiera picra Galeni & hieræ cum agarico. Electuaria hæc usu fere exciderunt hodierno aevum.

C 3

§. XXVII.

## §. XXVII.

Aqua ophtal-  
mica aloe.  
tica. In Anglia atque Hollandia usū recepta est sequens aquæ  
ophthalmica, quam aloe ingreditur, sub nomine *aqua ophthal-  
mica aloetica* nota. Descriptio ejus hæc est:

Recipe aloes pulverisatae  
tutiae præparatae  
sacchari candi albi ana drachmas tres  
vitrioli albi scrupulum unum  
aquæ euphrasiae  
foeniculi  
rosarum ana uncias sex

Misceantur.

## §. XXVIII.

Pilulae, quas aloe consti-  
tuit vel in-  
greditur. Aloe vel sola tota vel maxima ex parte constituit pilulas  
mox enumerandas ut pilulas de aloe violata, pilulas Franco-  
furtenses & pilulas angelicæ. Porro pilulae, quas aloe ingre-  
ditur, sunt pilulae antipodagricæ, aloephanginæ, aureæ, Co-  
chiæ Rhafis, Emanuelis, hydropicæ, hypochondriacæ  
Boecleri, lucis majores, mastichinæ, polychrestæ, tartareæ  
Quercetani, de hiera simplici, de hiera composita, hiera cum  
agarico, de ammoniaco Quercetani, Ruphi, mercuriales  
Avicennæ, pestilentiales Ruffi, sine quibus esse nolo, ape-  
rientes Stahlii, de aloe lota, de aloe & mastiche, contra ob-  
structiones, aggregativæ majores, foetidæ, cephalicæ, Rudii  
pharmac. Lond. imperiales Lugdunensium, hystericae &  
mesentericae Charas, hydropicæ & tartareæ Bontii, tartareæ  
Schrœderi & aliæ,

## §. XXIX.

Elixir pro-  
prietas cum  
acido. Inter ea, quæ ex aloe præparantur, eminent quoque sic  
vocatum ab auctore Paracelso *Elixir proprietatis Paracelsi*.  
Multum boni de eo passim in scriptis suis & ex his ejus  
discipuli promittunt ad vitam sanam & longævam, ad pleros-  
que morbos, ipsamque pestilentiam vincendam. Legantur  
elogia longo ordine exposita apud Crollium in Basilica chy-  
mica pag. 171. Variæ ac innumeræ ejus exstant passim in  
libris descriptiones, siquidem modo cum spiritu sulphuris,  
modo

modo cum sale tartari liquore alkahest Glauberi vel liquore terræ foliatæ tartari, modo cum spiritu salis ammoniaci, spiritu salis vel cochleariae modo cum aliis præparatur, sed omnes, quotquot sunt, ejus compositiones, in eo tamen conveniunt, quod ex aloë myrrha & croco cum spiritu vini conficiatur & prout vel cum acido vel sine eo cum alcali præparatur, elixir proprietatis cum & sine acido appelletur. Duplex in Dispensatorio Regio & Electorali Borusso-Bandenburgico extat descriptio. Prima sic se habet:

Recipe aloës succotrinæ

myrrhæ ana uncias duas  
croci unciam unam

aloen & myrrham in pulverem redige, myrrham spiritu sulphuris irora, ut pastæ instar fiat, tum utriusque crocum conquasatum junge ac affuso ad eminentiam trium digitorum transversorum pro vitri capacitatem, vini spiritu, octiduum digere, spiritum tintum effunde ac alium affunde, digere, tandem tinturas confunde, per bibulam cola ac serva.

Hac in compositione hoc maxime desidero, quod spiritus sulphuris speciebus initio adfundendus eas coagulet, duritie lapidea solidet & quasi comburat, ut vix vigesima pars solvatur, reliquum autem instar carbonis in fundo maneat. Huic incommodo obviam iturus Vir supra laudes meas positus BOERHAVE menstrui loco adhibet acetum vini destillatum acerrimum sequenti modo præparans elixir proprietatis:

Recipe aloës

croci

myrrhæ electæ ana unciam dimidiam  
scissa & tusa immitte altæ chemicæ phialæ, affunde de super acetum destillati acerrimi vigesculum respectu simplicium, ebulliant simul leniter in furnulo nostro ligneo per duodecim horas, frigescant, quiescant, donec fex subsedit,  
effunde

effunde purum supernatans per telam raram prudenter, lente, ne crassum effluat, residuo affunde novum acetum dimidiata ratione prioris copia, ebulliant iterum, ut prius, quiescant, frigescant, effundatur purum per telam raram, residuum abjice. Tincturas mistas leni igne destilla inspissando ad residuum tertiae.

Habetur ita, pergit, remedium acidum, aromaticum, in praxi infiniti usus. Extrinsicus enim ulcera putrida, saniosa, foetida, sinuosa, fistulosa, virulenta, emendat, depurat, a corruptione defendit, vere balsamica virtute imbut, conservat. Labiorum, gingivarum, linguæ, palati, faucium gangrænas, ulcera sanat. Interne eadem præstat in primis viis, quoties putredo, bilis foetida, concreta pituita, lumbrici, & infiniti de his quatuor causis oriundi morbi ibidem dominantur. Quin & ulterius in sanguine quoque & visceribus eadem ferre præstat; ut ex cognitis his tribus aceto solutis facile perspicitur. Sumitur mane vacuo ventriculo, post ultimum pastum ut minimum duodecim horas. Datur una vice a drachma una ad duas tresve ex mulsa, hydromelle aut vino molli dulci, superambulando aut abdomen molliter perficando postea, quod continuari & repeti potest pro re nata. Si majori sumitur dosi cum regimine paulo frigidiori, purgat semper alvum. Si partitis hauritur minoribusque dosibus, urinæ spissæ secretione sanguinem repurgat; plerumque ambo successive peragens. At largiori assumtu decumbenti in lecto stragulis bene operto sudoriferi generosi officio strenue fungitur, ita, ut vix alteri cedat, tum postea & alvum plerumque ciet & urinam, omni modo utile. Hinc puto hoc esse optimum. Elixir Proprietatis acidum, polychrestum vere, satisque simul tutum. Paracelsus ex aloë croco & myrrha factum elixir dixit in balsamum vivificum & conservantem, vitæ humanæ intimæ insinuandum, sanam vitam ducere in longævitatem ultimam naturæ humanæ possibilem. Hinc vocabat proprietas hominis superbo titulo. Præparationem subticuit. Helmontius alcahest eo requiri afferit. Bonus Crol-

Crollius oleum sulphuris per campanam addit pro menstruo: gnarus Paracelsicæ doctrinæ acidum esarinum requirentis in remediis stomachicis, sed tum aloe & myrrha in duritatem lapideam solidescunt quasi combustæ neque affuso dein alcoholi adeo promte obediunt, in usu dilutionem acris illius accidi requirunt. Hinc putavi acidum blandum oleosum vegetabile commodum satis præbere & proprium solvens in usus medicatos. Si quis parato sic elexiri tantum alcoholis admiscet, reddit eo magis balsamicum, efficax & mite. Ruffi capatoria antiloimica dicta omni dote refert atque eorum vice satis fortunato usurpari potest. Haec tenus BOERHAVIUS.

§. XXX.

ELEXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO ita in Dispensatorio Regio ac Electorali Boruffo-Brandenburgico describitur:

Recipe myrræ electæ

aloes succotrinæ

croci optimi in subtilissimum pulverem redaturum ana quantum placet. Irrora olei tartari per deliquium parati quantitate sufficiente, ut pultis consistentiam induat. Digestis in vitro commodo probe obturato viginti quatuor horas affunde spiritus vini rectificatissimi ad eminentiam quatuor digitorum transversorum, stent in digestione balnei quatuordecim dies, vase exactissime clauso & hermetice pene sigillato, agitando semel de die vas, donec saturate rubens extractum sit elexir sine acido digestum, cuius virtus eximia satis affusa singulis ejus uncis drachma una spiritus salis ammoniaci vinosi aut alterius salis volatilis aromatici, digerendo biduum, egregie exaltari potest in ELEXIR PROPRIETATIS DULCE VOLATILE.

Præparari etiam potest hoc elexir cum aqua quadam destillata

Nicolai mat. med. P. II da,

D

vel

vel spiritu vini non summe rectificato eoque vel simplici vel super aromata abstracto. Illustris b. m. BOERHAVE ita de ejusmodi hujus elexirii compositionibus in Elementis chemiae Tomo II. processu LXXXIII. scribit: haec ita parata remedia exhibent, quorum in arte usus creberrimus, laudatissimus, ad omnes morbos acidos, austeros, aquosos, frigidos, pituitosos, scirrhosos, obstructos absque inflammatione; purgat fere per omnia emunctoria corporis; interim nervis gratum simul est & spiritibus medicamentum; feminis amicum aristochlum emmenagogum, galactophorum; anthelminticum in quadam specie; appetitui ciendo idoneum; bilis defectum feliciter supplens. Practicis hinc semper necessarium. Agit ratione alcali, ratione specierum dissolutarum, ratione etiam spirituum vel aquae in varios usus.

## §. XXXI.

Elixir proprietas cum tartaro tartarisato & tartaro regenerato.

Aliud describit saepius laudatus BOERHAVE Processu LXXXIV. elixir proprietatis cum tartaro tartarisato. Iisdem speciebus, nimurum aloë, croco, myrrhæ, in æquali quantitate ad unciam dimidiam sumtis, inquit, affunde liquoris tartari tartarisati, optime juxta processum LXXV. in phiala, ut in præcedentibus; digerantur simul, vase clauso, spatio tridui, calore 150 graduum, videbis, species integre dissolutas in pultem homogeneam longe melius, quam ab aceto, aqua vel alcalino. Superfunde tunc alcohol vigecuplum ratione specierum; ebulliant leniter spacio duodecim horarum. Frigore & quiete depuratum separa; reliquum ut prius cum novo alchohole præpara; id repete, donec totum fere solveris; videbis nunquam minus fecum superstitem. Omnia elexiria inspissa leni igne ad olei crassitatem, & erit paratum elixir tartarisatum alcoholisatum. Hoc paratum sale compositio mire aperiente vires habet meliores præcedentium elexirium virtute. Hinc mire prodest obstructionibus chronicis inveteratorum morborum, quas potentissime resolvit, nec acri acido aut alcalino nocet: solent enim compoliti hi sales liberius transmitti cum suis solutis per vasa nostra.

stra. Idem vir, illustris BOERHAVE, omni laude major idem elixir proprietatis ope tartari regenerati conficiendum describit sequenti modo: in alta phiala pulveri trium specierum, nimirum aloes myrrhae & croci, ana unciae dimidiæ, affunde liquorem tartari regenerati triplum ratione pulveris; digere tri-duo, erunt aloe & myrrha fere integre solutæ, crocusque penitus apertus. Tum affunde alcoholis purissimi vige cuplum respectu pulveris; ebulliant lenissime duodecim horis. Ceterum tracta ut prius. Supererunt feces paucissimæ abjiciendæ. Elixir inspissatur ad dimidias. Erit elixir crassum, turbidum, solutum, sique semper remanens. In hoc processu sunt species fere integræ aquabiliter sic dissolutæ, ut potabiles evadant penitus: unde etiam efficaciam illius elexirii apperientem fundentemquæ incomparabilem deprehendi ad chronicos plerosque, in quibus blande liquefacit concreta in vasis; nervosum genus placide stimulat in motus sedatos, per quos propellat soluta; putrefactioni adeo hic crebræ adeo perniciose, occurrit; hinc viscera liberat; iisdem actiones per obstruentem materiam impeditas integras restituit; hinc tumores resolvit; sique morbos quam plurimos, aliter vix cedentes, sanat. Quare mihi videtur elixir hoc fere haberi pro Paracelsico & Helmontiano

### §. XXXII.

Si aloe ad libram unam, myrrham ad uncias duas, thus Oleum aloes ad unciam dimidiā tusa & mixta destillantur leni calore, purgans, prodit sic dictum OLEUM ALOES PURGANS. Si aloe myrrha & crocus in pulverem redacta inter se miscentur, hoc mixtum appellatur ELEXIR PROPRIETATIS SICCUM, & saepe additi elexirii proprietatis liquidi in pilula formam redigitur, nominatur MASSA PILULARUM um Avicennæ.

### §. XXXIII.

Omnia elexiria, quæ nomen proprietatis gerunt, in De elexirius eo conveniunt, quod ex tribus a Paracelso primum introducuntur: proprietas aliis speciebus, nimirum aloe croco & myrrha, diversis in generatim

D 2

com. de elexirio

polychresto Halensi & purgante. compositionibus diversa proportione, cum diversis salinis additamentis & menstruis conjunctis atque extractis. Hinc patet, cur aloe non memorata solum elexiria §. XXIX-XXXIII, sed etiam elexir proprietatis album Helmontii, elexir proprietatis antiscorbuticum & elexir proprietatis cum rhabarbaro ingrediatur. Praeterea quoque ad elexir aperitivum Claudi, cacheoticum Ettmüller & viscerale Bœcleri nec non polychrestum Halense adhibetur. Posterius hoc elexir, nimirum polychrestum Halense, initio paratum fuit ex extracto panchymagogo per mixturam simplicem soluto, sed referente b. Schulzio in prælectionibus ad Dispensatorium Regium & Electorale Borusso - Brandenburgicum, circa annum MDCCIV. extractum, aut rectius dicendo, massa cathartica spiritu vini fuit resoluta, ea proportione, ut ad quatuor scrupulos unciam unam spiritus vini sumerent & spiritus vitrioli drachmam dimidiam. Massam illam catharticam sequentem ad modum pararunt:

Recipe pulpæ colocynthidis uncias sex  
agarici  
scammonei ana uncias quatuor  
fibrar. ellebor. nigr.  
specier. diarrh. Abb.

aloes succotrinae ana libram dimidiam.

Incisa contusa infunde spiritu vini q. s. post digestiōnem sufficientem & fortem expressiōnem fiat cum trochisorum Alhandal unciis tribus, diagrydii præparati, agarici trochiscati ana unciis quatuor & aloes hepaticæ unciis octo massa.

Elexir illud copiosum sedimentum ad fundum dimitit, unde necesse est, vitrum ante usum probe agitare. Ubi quis extra febrem laxationis vel purgationis causa sumebat, sexaginta guttae per intervalla brevia porrigebantur, donec purgatio incipiebat, injuncto copioso potu cerevisiae tenuis calidae. Quo pacto in febribus petechizantibus adhibitum feliciter fuerit, multis expositum legatur apud D. D. Gœtzium in

in Observat. medico-practicis Stahlianis Classe I. obs. 14. inde a pag. 58 ad 60. atque celeberrimus Schulzius confirmat quoque, quod, si tempestive & legitime adhibetur, effectus edat exoptatissimos. Quidam ex extracto aloes aquoso & arcano tartari ope spiritus vini extractis conficiunt elexir, quod nominant *elixir purgans*.

## §. XXXIV.

Si aloes ope spiritus vini probe rectificati extrahitur, haec extractio filtrata constituit *essentiam aloes seu essentiam aloeticam*. Constat ex parte aloes resinosa & saponacea fixiori atque his partibus nuditur ejusdem virtus. Usui interno minus apta est ob nauseam, quam mover, atque ingratam qualitatem. Externe vulneraria est insignis ob vim balsamicam consolidantem atque putredinem abarcentem, quam ob rem etiam in vulneribus ulceribus gangraena & ossium carie frequentissime vel per se vel cum essentia myrrae & succini sine alkali confectis usurpatur.

CAPVT VI.  
DE  
A G A R I C O.

## §. I.

**A**GARICUM, AGARICUS OFFICINARUM, AGARICUM Agarici quALBUM, FUNGUS LARICIS, græce ἄγαρις, germanitatis & nice Lerchenschwamm est corpus album, leve, fungosum, proventus. spongiosum, in farinam digitorum attritu friabile, saporis primo subdulcis mox amari acris nauseosi cum levi adstrictione, odoris, si recens, fortis atque ingrati, variae figuræ ac magnitudinis ut subrotundum, ex rotundo angulosum, inæquale, modo majoribus modo minoribus matris conglobatum, plerumque pugni & nonnunquam capitis humani magnitudine, extrinsecus cortice, qui removeri solet, duro calloso cinereo subrufo circumiectum. Est fungus laricis te-

rebinthinam fundentis ejusque trunco, rarius ramis, pugni plerumque magnitudine, tunc adnasci solet, quando annosiores factæ terebinthinam largiri desierunt, ex quo elucescit, fungum hunc ex eadem gigni materia, quæ antea in laricibus junioribus resinofam suppeditabat lacrymam. Dicitur agaricus ab Agaria seu Agria, Sarmatiae regione, unde olim referente Dioscoride advehebatur. Hodie crescit in multis aliis regionibus, quarum sylvæ larices ferunt, v. g. in Galatia, Cilicia, Cappadocia, Delphinatu Galliae, Sabaudia, montibus Tirolensibus, Tridentinis & Wallisiensibus, Alpibus aliisque montibus, sylva Hercynia &c. Optima ejus species deglubitur e laricibus, quæ uberrime in Tartariæ, præsertim Siberiæ, sylvis proveniunt. Non tam cito, quam alii fungi, acquirit debitam magnitudinem sed referente Bernardo Valentini in Historia simplicium reformata pag. 232. §. 10. integrum annum ad maturitatem postulat. Decerpitur, quam primum siccari rimasque agere incipit. Quo enim viso exteriori pellicula provide prius detracta ab arbo-re rescinditur & deinde soli exponitur per duas vel tres hebdomades pro diversitate anni temporum ut candidum induat colorem. Postea malleis ligneis vel fustibus percutitur, quo omnes deleantrur incisuræ. In sicco loco reconditus per complures annos incorruptus servari potest, & si in eo vermiculi nati fuerint, scopolis setaceis denuo est repurgandus.

## §. II.

Ad usum seligendus est medicum agaricus colore candido cum temporis progressu in flavum abeunte, levis, friabilis, fractu facilis & spongiosus, substantiam densam & duram non continens. Notæ bonitatis sequentibus comprehensæ sunt versiculis:

Res frangi præsto pretiosus agaricus esto,  
Candidus & splendens, libramine leveque pendens  
vel

Qui fractu facilis levis est & candidus, iste  
In primis medicis pretiosus agaricus esto.

Reji-

Characteres  
bonitatis  
agarici.

Rejiciendus est cariosus, fibrosus, lignosus, ponderosus, minus friabilis, densus, compactus, durus, nigricans vel gryeus, ab arboribus jam jam emorientibus decerpitus. Cor-  
tex removetur tanquam inutilis aut noxius.

## §. III.

Quidam agaricum dividunt in marem & foeminae: Divisio' agaric' Marem dicunt agaricum, qui niger vel flavus ponderosus, rici in ma- compactus, lignosus, valde tenax est, foeminae, qui candi- rem & foemi- dior & levior est reliquasque bonitatis notas §. II. habet. Ve- nam.  
rum hæc distinctio omni caret fundamento atque utilitate. Fungus enim, quem agaricum marem nominant, non laricis fungus est sed potius quercuum annosiorum aliarumque arbo- rum & tum forma tum virtute diversissimæ est ab agarico vero indolis, non, uti is, virtute cathartica præditus & ad usum medicum aptus, sed a tinctoribus tantum ad colore nigrum tingendis inducendum adhibetur. Quercubus, uti jam dictum est, accrescit annosioribus & styptica duntaxat, neutiquam vero cathartica pollet virtute.

## §. IV.

Ex analysi chemica, quam celeberimus Neumannus a) cum Analysis che- agarico vero officinarum instituit, appareat, eum maxima ex mica agarici, parte constare ex substantia resinosa atque ex substantia mu- cilaginosa glutinosa maxime tenaci viscida terrestri in aqua non solubili, ita, ut illa hanc quantitate longe superet, uti ex mox dicendis apparebit. Affudit primum librae dimidiæ agarici spiritum vini bene rectificatum atque obtinuit sex uncias extracti resinosi, ope aquosæ vero cum residuo institutæ extractionis tantum drachmas & duos scrupulos extracti aquo- si, & quod post hanc extractionem remanit non solutum, duas

a) Chemie Dogmatico-Experimentalis a D. D. Kessel editæ Vol. II,  
Pars I. cap. IV.

duas uncias drachmam unam & dimidiā pependit. Beneficio extractionis aqueae primum cum agarici libra dimidia institutae impetravit tantum extracti aquoli tres drachmas, ex hujus extractionis residuo ope spiritus vini unicas quinque & septem drachmas extracti resinosi & quod iterum remansit, pependit uncias duas drachmas duas & dimidiā. Excellentissimus Cartheuserus scribit b), quod principia activa ita per agaricum sint distributa, ut resinofum, quod in dimidia agarici uncia ad duarum ferme drachmarum pondus ascendit, magis in parte exteriori corticali, salino - mucilagineum autem tam crassius terreum quam tenerius magis in interiori parte fungosa haereat. Exterior enim agarici pars corticalis superfusum vini spiritum saturato colore imbuīt, magis fungosa interior vero longe debiliorem tinteturam menstruo conſtruō conciliat. Tinctura spirituoso - resinosa concentrata tam aduersi odoris & saporis est, ut unica guttula linguae instillata apud subiecta sensibilia vomitum concitet ac diu naufragium relinquit. Principium salino - mucilagineum, cuius quatuor circiter scrupuli in dimidia agarici uncia haerent, remissiori amaritie, debili dulcedine, quae sece in principio manifestat, remixta, pollet & aqueo suo menstro colorem duntaxat subluteo - albicantem inducit. Infusum hoc ob solutae mucilaginis crassitiem non transit per filtra ordinaria, sed colatura & expressione per linteum a recrementis terrestribus separandum est. Extractum inde paratum colorem brunnum consequitur, hinc inde tamen albidis maculis distinctum, & linguae, uti antea pridem dictum, primo subdulcem, postea valde amarum & ingratum saporem imprimet. Quando menstruum aqueum addito sale tartari acuatur, mucilago tenuior facilius separatur & post aliquot dies materiam admodum spissam ad fundum dimitit, supernatante portione liquidiori, pellucida, gelatinam emulante. Decantata haec posterior & lenta evaporatione ad solidorem consistentiam redacta extractum praebet ex teneriori substantia resinosa & muci-

b) Fundamentorum Materiae Medicæ Part. I. Sect. X. cap. IX §. IV.

mucilaginea mixtum, quod longe melius, quam sola pars resinosa, quae ingentem nauseam creat ac facile vomitum atque tormina ventris producit & melius pariter quam sola pars mucilaginea, quae alyum parum movet, purgare consuevit. Binæ agarici unciae plerumque unciam unam & drachmam diuidiam hujus extracti largiuuntur. Relicta pars spissior mucilagineo-terrea virtute penitus caret. Si loco aquæ alcalisatae acetum destillatum aut vinum extractione adhibetur, simile propemodum extractum, minori tamen, si acetum fuerit superfluum, quantitate resultat. Teste Geoffroy c) aqua perparum ex agarico dissolvit & extrahit sed illud in mucaginosum magma convertit, unde patet, quam parum utilis sit agarici maceratio vel decoctio in menstruis aqueis. Laudatus Neumannus loco citato scribit, ex agarico posse preparari extractionem, cuius gutta unica assumta vomitus excitare valet.

## §. V.

Qui os & nares agarico comminuendo propinquas te-  
net, sternutatione aliisque incommodis peccus præcipue affli-  
gentibus corripiuntur, nares & oculi irritantur & copiosum  
fundunt liquidum cum sensu molestiae vel doloris. Ex hoc  
igitur patet, agaricum partibus summæ acritatis & acrimo-  
niae esse præditum.

Partes acti-  
vas acres  
continet aga-  
ricus.

## §. VI.

Valde acrem agarico competere qualitatem, ejus sapor Agarici acris  
valde acris §. I. IV., partes sub comminutione avolantes qualitas de-  
acres §. V., pars resinosa, quae ingentem nauseam ac vomitum monstratur.  
creat §. IV. & principium salino-mucilagineum §. IV. lucu-  
lenter demonstrat. Quum enim salium prædominium &  
concentratio acrem constituat qualitatem §. CCCCVIII. Sect.  
VI. Part. I. & pars agarici tam resinosa quam salino-mucila-  
ginosa multa falia contineat §. IV. & §. CLXXXVI. Sect. III.  
Part. I, acris ejus qualitas luculenter appetit. Denique nau-  
sea & vomitus, quem præparata ex agarico excitant §. IV,  
Nicolai mat. med. P. IIa.

E pro-

c) Tractat. Mater. Medicæ Tom. II. Sect. I. Cap. X. Artic. III. pag. 773.

profiscuntur ab irritatione, istam vero hoc in casu ab acrimonio produci quis negare potest?

### §. VII.

*Virtus agarici purgans demonstratur.*

A priori determinaturum virtutem, quae agarico competere potest, in memoriam revocare debet, viscida atque acrida purgationem excitare posse eoque majorem & eo majori cum dolore atque incommodo stipatam, quo major eorum est acrimonia & visciditas §. XXVI. XXVII. XL, XLI. Cap. I. Sect. I. Libr. I. Part. II. Jam vero agaricus maxime tenaci viscida & glutinosa substantia, valdeque acri qualitate gaudet §. IV. V. VI. Qua de re agaricus vehementer & majori cum dolore atque molestia conjunctam exserere potest virtutem purgantem. Hanc vero actu ei competere testatur experientia.

### §. VIII.

*Virium reliquarum agarici determinatio.*

Quum agaricus maxime acri gaudeat qualitate §. VI, ei competere debent virtutes acribus propriæ, quam ob causam stimulare, fluidorum motum progressivum atque intestinum resolutionem calorem secretiones atque excretiones augere debet, immo spasmoidicas constrictiones & dolores aliosque hinc dependentes effectus producere potest §. CCCCVII. Sect. VI. Part. I. Porro agaricus ob partem ejus resinosa virtutem resolventem atque calefacientem possidere debet §. CCCCXCVII. Sect. VI. Part. I §. IV hujus capitii, & cum haec pars resinosa ingentem nauseam vomitus & tormina ventris excitet §. IV, maxima stimulante virtute debet esse instructa, quae agarico quoque in substantia competit. Stimulans igitur & resolvens virtus in agarico magna & vehemens esse debet.

### §. IX.

*Observationes medicorum de virtutibus agarici.*

Ex his igitur eluiscit, agaricum virtute non purgante solum sed multis aliis etiam virtutibus alterantibus, præcipue resolvente & stimulante, esse præditam. Idem confirmat medicorum consensus atque experientia. Dioscorides enim, Gale-

Galenus cum aliis veteribus Græcis ad varios & diversos affectus, præsertim iæterum, malum ischiadicum, arthritidem, epilepsiam, asthma curandum commendarunt & pauca tantum de vi ejus eathartica attigerunt. Avicenna inter Arabes laudat agaricum exiguo pondere ut medicamentum incidens & digerens cum opii modico mixtum eique vis quoque anthelmintica atque alexiteria fuit attributa, quam ob rationem theriacam quoque ingreditur aliasque compositiones alexiterias, ut videre est apud Scribonium Largum, ab Arabum tamen plurimis inter purgantia referatur. Hæc omnia luculentum præbent documentum, agaricum a medicis non purgandi solum sed resolvendi etiam scopo fuisse adhibitum hisque virtutibus esse præditum.

## §. X.

Quum agaricus virtute potenter resolvente valde stimu- Uſus agarici  
lante & purgante sit instruetus §. VI. VII. VIII. IX. sequitur; determina-  
ut in omnibus iis conducat morbis, quorum curatio alvi pur- tur.  
gationem, partium solidarum stimulationem & fluidorum  
resolutionem atque evacuationem per alvum requirit. Nunc  
ejus generis morbi sunt ii, in quibus partes solidæ atonia  
laborant, humores serosi abundant, visciditate tenacitate &  
pituitosa constitutione sunt depravati, ut cachexia, chloro-  
sis, hydrops, apoplexia pituitosa, adfectus soporosi, fluor  
albus, asthma pituitosum, rheumatismi serosi & pituitosi tus-  
sis humida atque id genus alii adfectus. Quam ob rem aga-  
ricus in memoratis morbis prodest & usurpari potest. Ean-  
dem ob causam convenit subjectis phlegmaticis, pituito-  
sis, laxiori corporis habitu præditis, humidæ & frigidæ con-  
stitutionis. E contrario, cum valde stimulet, calorem accen-  
dat & motum humorum tam progressivum quam intestinum  
augeat spasmodicas partium solidarum constrictiones & do-  
lores facile excitare possit §. VIII, uſus ejus exulare debet in  
febris acutis, inflammationibus, doloribus, spasmis, con-  
vulsionibus, epilepsia, nisi causa morbi vel symptomatis

ūsum ejus exigat vel aliae circumstantiae eum admittant vel postulent. Eandem ob causam subjectis sensibiliōris naturae, ad spasmos dolores humorum motum atque exæstuationem proclivibus, cholericis, siccae & calidæ constitutionis, biliosis, iracundis, quorum sanguis ad rarefactionem est pronus, minus conducit adeoque in his ab usu ejus vel plane abstinere vel in eo adhibendo cauti & circumspecti esse debemus. Anthelminticam quoque ut reliqua purgantia exserit virtutem, cuius ratio ex dictis de aloë petenda §. XVI. capit is præc. Tormina facile ac hypercatharsis excitare solet, de quo ratio supra fuit demonstrata §. XLI. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Partis II, atque in summa ejus tenacitate cum magna acrimonia conjuncta residet §. IV. V. VI.

## §. XI.

Modus  
agaricū  
præparandi  
atque exhibendi

Summa agarici tenacitas in causa est, ut non facile in pulverem redigi possit & tam ob hanc causam, quam quoniam ejus usus sub pulveris forma tum ob nimiam, qua est pro dosi assumendus, molem tum ob valde ingratum & nauseosum saporem, insignem molestiam ac nauseam creat & multa ac vehementia vi qualitatis admodum viscidæ tenacis acris & difficulter in corpore humano solubilis §. IV. VI. X. ventris tormina excitat. Si vero agaricus comminuendus est in pulverem, commode id fieri potest eum radula radendo, rasuram cum mucilagine gummi tragacanthi conterendo & redigendo in pulpm hanc exsiccando, exsiccatam contendo, contritam per cribrum trahiendo, residuum crassius, quod non transiit, denso cum mucilagine tragacanthi conterendo & in pulpm redigendo, quæ modo descripto iterum est tractanda, donec omne per cribrum transiit. Ex rasura agarici infuso, vel, quod melius est, decocto Zingiberis correcta ope mucilaginis gummi tragacanthi præparatur in officinis agaricus trochiscatus seu agaricus in forma trochiscorum & certe nulla hac tutior & præstantior est agarici præparatio, tum, quod nauseosam atque ingratam ejus quali-

qualitatem optime abscondit atque occultat, tum, quod acrem & nocivam ejus indolem §. VI, infringit atque corrigit. Mucilago quidem gummi tragacanthi viscidam & glutinosam agarici qualitatem augere adeoque malam ipsius indolem pejorem potius reddere quam corrigeret videtur, sed probe tenendum est, mucilaginem gummi tragacanthi aliam plane possidere naturam quam agarici substantiam mucilaginosam & glutinosam. Illa enim tenacitate & visciditate hac longe inferior est & facile solvitur, cum haec solutioni vix vel plane non obediatur §. IV, ad quod accedit, quod illa, quamvis non viscidam & tenacem agarici qualitatem emenderet, valde acrem tamen & noxiā ejus indolem inniviat, atque corrigit. Praescribitur agaricus trochiscatus in substantia a drachma dimidia ad integrum sed vix vel plane ob magnam quantitatis molem, quae pro dosi est deglutienda, in infusis vero & decoctis saepius a drachmis duabus ad unciam dimidiā & ultra. Crudus ac sibi relictus agaricus solet quoque in infusis ac decoctis adhiberi sed rarius quam trochiscatus.

## §. XII.

Probe agaricus trochiscatus a trochiscis de agarico est Discriumen discernendus. Ille constat ex agarico cum extracto, seu, inter agaricū quod perinde est, decocto vel infuso Zingiberis & mucilagine gummi tragacanthi in massulas latas, rotundas, magnitudine ordinarios trochiscos longe superantes, thalero interdum aequales, redacto, hi vero sunt trochisci longe minores & praeter Zingiber in substantia continent sal gemmæ & oxymel, uti ex eorum compositione mox describenda patet:

Recipe agarici albi & levis uncias tres  
salis gemmæ unciam semis  
Zingiberis albi drachmas tres  
oxymellis simplicis, quantum sufficit,  
ut fiant ex arte trochisci.

E 3

Hi

cum trochiscatum &  
trochiscos de  
agarico.

Hi per se dati infra drachmam vel sesquidrachmam parum moveare valent, minusque efficaces inveniuntur vetustatem naeti, quare videoas plerumque præscriptum recens trochiscatum.

### §. XIII.

**Resina, ex-  
tractum pilu-  
trae & electua-  
rum hieræ  
cum agarico,**

In officinis porro ex agarico resina extractum & pilulæ præparari solent: Resina agarici interne ad scrupulum dimidium ab Hermanno a) præscribitur ad purgandum & de ea valent, quæ supra de resina jalappæ capite III. monui. Extractum agarici ope spiritus vini rectificatissimi paratum est resinofum, debili virtute purgante instructum, ita, ut scrupulus vel drachma dimidia parum alvum moveat, nisi stimulum addas. Pilulæ de agarico hodierno ævo usu fere exciderunt, interdum tamen infusis & decoctis a drachmis duabus ad unciam dimidiad adduntur. Electuarium hieræ pīræ cum agarico in clysteribus stimulantibus ad drachmas sex vel unciam integrum adhibetur,

## CAP.VT VII. DE C O L O C Y N T H I D E.

### §. I.

**Descriptio  
fructuum colo-  
cynthidis.** Fruetus colocynthidis quales in officinis venduntur, sunt fructus sphærici, cortice externo orbati, exsiccati, malis citreis exteriori cortice flavo privatis & exsiccati valde similes, pulpa tenaci membranacea fungosa arida candida valde levi instructi, in loculamenta varia divisi, quibus includuntur semina multa, sapore vehementer & intense amaro acri & nauseoso fauces lœdente. Celeberrimus Schulzius b) quatuor integra poma, quæ accurate unciam unam

a) Hermanni Cynosura Mater. Med. edit. Boecleri pag. 246.

b) Dissertat. de colocynthide.

unam ponderabant, a seminibus repurgavit, quæ seorsim appensa septem drachmas æquabant, ut unica tantum drachma pulpa utilis superesset & unicus fructus quindecim forte grana contineat. Si medullam semenum degustes, modicam in ea deprehendes amaritatem longe minorem quam in pulpa fructum.

§. II.

Fructus colocynthidis, qui ad usum expetuntur medi-  
cum, primum viridi cortice gaudent, qui vero deinde post-  
quam ad maturitatem pervenerunt, flavum induit colorem &  
saporem valde amarum acrem & nauseosum acquirit, inte-  
rea tamen color hic in iis variat, prout majorem vel mino-  
rem adepti sunt maturitatem & pro eorum diversa indole.  
Eodem modo comparatum est cum eorum magnitudine &  
figura. Nonnulli enim referunt figura & magnitudine poma  
aurantia, quidam pyra, alii cucurbitas minores & sunt vel  
rotundi vel oblongi, magis vel minus compresi & torti.  
Inclusam gerunt sub cortice tenui coriaceo medullam candi-  
dam fungosam & quasi membranaceam in tres partes divi-  
sam, in quibus semina reperiuntur cumberinis similia sapo-  
ris acris amari & nauseosi. Incolae regionum, in quibus hi  
fructus crescunt, eos maturitatem adeptos decerpunt, de-  
cerptis corticem exteriorem flavescentem detrahunt & exsic-  
cant exsiccatosque ad nos transmitunt.

§. III.

Planta, quæ hos fert fructus, dicitur COLOCYNTHIS Planta colo-  
vel simpliciter vel FRUCTU ROTUNDO MAJOR vel MINOR. cynthidis.  
Pertinet ad genus cucurbitaceum nec a ceteris differt  
Jos. PITTONIS TOURNEFORTII INSTIT. REI HERBA-  
RIÆ 17. judicio, nisi folio in profundas lacinias dissecto  
& fructu amaro non eduli, hinc nominatur etiam CUCUR-  
BITA AGRESTIS & ob summam amaritatem CUCURBITA  
AMARA, FEL TERRÆ. Dicitur quoque MORS PLANTARUM,  
NEX PLANTARUM, Arabibus HANDAL & cum ar-  
ticulo

ticulo ALHANDAL, quod nomen adhaesit trochiscis, de quibus suo dicam loco. Crescit in Aegypto, India, Persia, Armenia, Syria, insulis maris Aegei & ora maritima orientali aliisque orientalibus regionibus, indeque ad nos fructus ejus transmittuntur, maxima tamen fructuum copia ex Aegypto & hodierno ævo ex Aleppo ad nos adfertur.

## §. IV.

**De selec*ti*n*e*** Ad usum medicum eligendi sunt fructus maturi, elegan-  
fructuum & ter albi, rari, spongiosi, leves, aridi, intenso amarore præ-  
e*torum par-* diti. Adhibetur in officinis tantum eorum pulpa & parum  
tium ad usum vel nihil de eorum seminibus,  
medicum.

## §. V.

**Analysis che-** Celeberrimus NEUMANNUS a) pulpam & semina ho-  
mica pulpæ rum fructuum extractioni aquosæ & spirituosa subjicit &  
& seminum semper deprehendit, quod pulpa dimidium, semina vero  
fructuum co- partem tantum octavam extracti suppeditaverint, sive cum  
locynthidis. spiritu sive cñm aqua extractionem primum instituerit, &  
quod semper extracto seminum spirituoso aliquid pingue  
instar olei expressi inhaeserit immixtum. Beneficio primæ,  
quam cum spiritu vini instituit, extractionis ex pulpæ libra  
una obtinuit tres uncias & dimidiam extracti spirituosi seu  
resinosi, ope vero primum suscep*ta*e extractionis aquosæ ex  
libra una pulpæ impetravit septem uncias & dimidiam ex-  
tracti aquosi. Porro animadvertisit, quod libra una pulpæ  
post antea cum ea peractam extractionem spirituosam dede-  
rit uncias quatuor & dimidiam extracti aquosi & post aquo-  
sam extractionem tres tantum drachmas duos scrupulos &  
quatuor grana extracti resinosi. Hæ cum seminibus inverso  
modo institutæ extractiones parum a se invicem discrepa-  
runt, & ultimum, quod animadvertisit, est, quod omnes  
pulpæ

a) *Chemicæ Medicæ Dogmatico-experimentalis* a Dom. D. Kessel  
edit. Tom. II. Pars II. cap. 9. pag. 144.

pulpæ extractiones tam resinosaæ quam aquosaæ longe majori præditæ fuerint amarore quam extractiones fæminum, priores pulpæ extractiones amarore superaverint posteriores & pulpæ fæminumque extractiones destillationi subjectæ nihil sapidi & acris suppeditarint.

## §. VI.

Ex his adductis experimentis §. V. luculenter apparet, Partes con-pulpam fructum colocynthidis constare ex parte gummosa & stitutivæ resinosa. Porro cum libra una agarici ope spiritus vini pri-mum extracta largita fuerit extracti spirituoli uncias tres & proximæ co-dimidiam, ope aquæ vero primum extracta septem uncias & locynthidis. dimidiam extracti aquosi, denique extractio aquosa libræ unius agarici post prægressam extractionem spirituosam qua-tuor uncias & dimidiam extracti aquosi & extractio ejus resi-nosa post institutam antea extractionem aquosam tres tantum drachmas, duos scrupulos & tria grana extracti resinosi de-derit §. V, sequitur, ut præter partes gummosas & resinosas insint agarico quoque partes fixæ in spiritu vini & aqua simul solubiles, sive saponaceaæ fixiores.

## §. VII.

**I**N HERMANNI CYNOSURA MATERIAE MEDICÆ Pulpa fru-edita a Boeclero pag. 335. memoratur, quod ii, qui fructus etuum co-colocynthidis manibus diutius tractant aut in mortario terunt, hypercatharsi inde corripi soleant idemque fiat sola inuncti-one ventris. Aliae quoque testantur observationes, tantam purgandi facultatem eminere in colocynthide, ut exterius umbilico admota ejus pulpa cum felle bubulofo non alvum solum dejiciat sed vermes etiam in intestinis nidulantes enecet arque expellat, quin odore & tactu alvum movere dicatur. Summe igitur activo principio purgante debet esse eorum pulpa instrueta, quod e salium subtilium acrum genere esse asserere nullus dubito. Virtus hujus mei asserti ex eo patet, quoniam pulpa colocynthidis coctione forti vel diurna vir-tute sua purgante privatur. Quid enim id, quod sub cocti-

Nicolai mat. med. P. II da.

F

ne

one avolat & simul virtutem purgantem imminuit, esse possit aliud, quam sal acre admodum subtile volatile summae activitatis, ego saltim perspicere nequeo. Neque sum sollicitus, num hoc sal acre admodum subtile volatile summe activum sit pars fructuum colocynthidis proxima an remota & in quanam eorum parte resinosa gummosa an saponacea fedeat; hoc enim mihi perinde est. Ejusdem salis praesentiam in pulpa colocynthidis demonstrat quoque sapor ejus intense amarus & acris §. CCXXXVIII. Sect. IV. Part. L & §. I. hujus capit. I.

### §. VIII.

Virtutum pulpe colocynthidis determinatio a priori.

His igitur fixis ac stabilitis ordo exigit, ut primo determinem virtutes pulpae colocynthidis, quatenus a priori, id est, ex partibus eius constitutivis cognosci possunt, deinde experientiam atque observationes consulam ad virtutes ejus detegendas. Cum pulpa colocynthidis contineat sal acre admodum subtile & summe activum §. VII, ingens virtus stimulans & resolvens ei competere debet §. CCCCV. CCCVIII. CCCCLXV. Sect. VI. Partis I. Eam ob causam spasmoidicas vasorum contractiones, dolores, &, quæ hinc sequuntur, mala, ut obstructions, inflammations &c. excitare, humorum motum tam progressivum quam intestinum, ad certas partes affluxum, resolutionem & calorem maximopere augere debet §. CCCXCIX - CCCCVI. Sect. VI. Part. I. Ratione partium resinosarum §. VI. possidet virtutem stimulantem resolventem & calefacientem CCCCXCIV. Sect. VI. Part. I., & vi partium saponacearum §. VI. resolventem §. CCCCXVIII. Sect. VI. Part. I. Ex his omnibus igitur clarum est & perspicuum, in pulpa colocynthidis, quatenus res a priori tantum consideratur, prædominari virtutem vehementer stimulantem & resolventem atque ab his virtutibus reliquas ejus omnes dependere. Gummosa vero ejus pars stimulantem & resolventem ejus virtus paululum imminuit §. CCCCLXXII. Sect. VI. Part. I, ita tamen, ut illæ prædominentur.

### §. IX.

## §. IX.

Considerandum nunc mihi est, quid experientia docuerit Observatio-  
de virtute colocynthidis. Est medicamentum medicinæ coæ-<sup>nes de virtu-</sup>  
vum, Hippocrati, Galeno, Dioscoridi, Plinio, Graecis  
tandem & Arabibus notissimum & ab omnibus commendata-<sup>te colocyn-</sup>  
tur ad humores crassos viscidos tenaces evacuandos, potissi-  
mum pituitosos. Paulus Aegineta scribit, colocynthidem  
non tam sanguinem quam nervos purgare atque ejus usus  
prædicatur in morbis inveteratis & contumacibus, quos neque  
turpethum neque agaricum solvit; in affectibus nervorum, ar-  
ticulorum, viscerum, obstructionibus, cephalalgia hemicrania  
inveterata, apoplexia, epilepsia, vertigine, asthmate, dyspnoea,  
morbis articularibus frigidis, dolore ischiadico, dolore  
colico fatulento, hydropoe, lepra, scabie, denique, ubi malo  
nodo malus cuneus quaerendus est, inquit C. Hoffmann.  
Non enim curamus morbos, quia nunquam expeditus nos  
a lenientibus, inquit idem post Massariam. Præter ejus vim  
catharticam medici nonnulli specificam quadam & mere alte-  
rantem qualitatem in ea agnovisse videntur; cum eam in pri-  
mis SCRIBONIUS LARGUS laudet ad menses pellendos,  
lumborum dolores & morbos comitiales, & HELMONTIUS  
vocet colocynthidem chronicorum morborum curatricem  
egregiam ob vim ejus resolventem. DIOSCORIDES Lib. IV.  
cap. 178. paucis ita dissertat: fructus medulla purgandi vim  
habet, specialius MESUE: pituitam & alios humores crassos  
& glutinosos magis ex profundis partibus & distantibus quam  
ex venis attractos purgat, ac etiam bilem flatam. Porro,  
cerebri, inquit, nervorum, muscularum, juncturarum, pul-  
monis, thoracis morbis mire subvenit: cephalalgiae antiquæ,  
dolori cranii totius, hemicraniae contumaci, epilepsiae,  
apoplexiæ, vertigini, aquosæ fluxioni in oculum, podagræ  
frigidæ, ischiadi maxime, ac reliquis nervorum juncturarum  
que affectibus, asthmati item ac tussi antiquæ, dyspnoeæ ex  
thoracis repleti angustia: ac præterea summe omnium pro-  
dest colico dolori tam ex pituita quam flatibus & hydropi:  
quæ ex Sylviana potius quam antiqua versione apposui.

F 2

§. X.

## §. X.

Observatio-  
nes de vir-  
tute colo-  
cynthidis.

Neque veteribus ignorum fuit, colocynthidem esse medicamentum magnarum virium, quae etiam noxas inferre valeat, valentissimam & violentissimam medicinam purgantem. Experientia quoque docuit, quod vehementer viscera laedat, vehementes spasmodicas constrictiones, immanes dolores, inflammations & sanguinis ex ano profluvium excitaverit. In hujus rei testimonium primum provoco ad cauponem juvenem atque alacrem Hagiensem, de quo CORN. STALP. van der WIEL obs. XLI. cent. I. refert, quod alvi purgationem animo versans colocynthidis pomum emi jusserrit contusumque deglutiverit. Post ejus usum non tantum ineffabilis ventris cruciatus verum etiam dysenteria talesque artuum supervenere contractiones, ut echinum referret: fateturque laudatus observator, nunquam se tam horrenda in quopiam confexisse symptomata, mortem tamen adhibitis idoneis remedii effugit. Alterum invenimus exemplum in NIC. TULPII Observat. Lib. IV. cap. XXV. memoriae mandatum, quo vir inops ac tardi ventris onera ejicere cupiens impulsu cuiusdam trium colocynthidis pomorum decoctum bibit, id vero tanta ipsi excitavit tormenta ut ille apertis vasorum sanguiferorum ostiolis propter ingenitum sanguinis fluxum brevi vitam cum morte commutasset, ni immisso in os & inferiora oleo ilico remedii vim corrosivam refrænasset ac domuisseisset. Tertium addo exemplum, quod ex REMBERTI DODONAEI observationibus apud SCHENCKIUM Lib. VII. pag. 980. citatur. Ita autem se habet observatio: robustus homo, cui enemate una drachma colocynthidis fuerat usurpata, non diu supervixit: cui post mortem, aliquot deinde horis, sanguis per sedem effluxit. Accedit quartus, non proletarius, sed princeps, quem colocynthis male exhibita in vita periculum conjectit. De eo PLATERUS in observat. Lib. III. pag. 89, hunc in modum: Medicus quidam junior principi cuidam pilulas purgantes exhibuit, quae cum non operarentur, sequenti die rursus similes propinavit, illisque, ut validiores essent, pulpam colo-

Iocynthidis obiter pulverisatam commiscuit; quarum uſu princeps propter infinitas dejectiones easque cruentas tormentibus maximis excruciatbatur; cuius minas medicus me- tuens ex aula ſe alio recepit. Similem ſed lethalem purga- tionem idem PLATERUS pag. 640. his exponit verbis: *Quidam aliis ſe purgare volens vinum, in quo colocynthidiſ pomum ſiccum, uti habetur, per noſtem maceratum erat, bibere solebat, quod, licet ſine noxa ſaþe feciſſet, tandem tamen lethalem inde contraxit dysenteriam.* Nonnulli hoc medicamentum diſertiſ verbiſ venenorum catalogo inſerunt & tanquam viroſiſſimum medicamentum & tantum non mortem iſpam, ut ait C. Hoffmannus, ex foro medico procul ablegandum eſſe ſuadent. Sed ab hiſ diſſentit Simon Pauli, qui eos tanquam meticuloſiores condeſnat, ſibi per- ſuafus, multos magnam in medicina famam atque auctorita- tem conſecutos ad veterum exemplum in morbiſ curatu difficultib⁹ & contumaciib⁹ felici ſuccelluſ eam uſurpaſſe.

§. XI.

Si quis obſervationes & memorata de colocynthide Conclusio- §. IX. X. conſiderat, omnium dictorum ſummam eo redire fine ullo perſpiciet negotio, quod aliqui eam ſummis & in- ſignibus ſuſtulerint laudibus, alii contra ut ſumme noxiū & venenatum medicamentum absolute damañarint. Utrique modum mihi videntur excessiſſe legitimum. Omnia enim criminum, quorum a quibusdam accuſatur colocynthidis, cul- pain in eam conſicere ſolam, ad venenorum classem rele- gare, imprudentem ejus uſum & abuſum omnis criminis habere expertem, injuſtum & experientiae contrarium judi- co, eam vero omnium criminum abſolvere, lene atque in- nocuum declarare medicamentum, aequa experientiae repu- gnaret. Media inſiſtendum eſt via, &, quantum ego per- ſpicio, ſequentes ex allegatis §. IX. X. de colocynthide obſervationibus deduci poſſunt conſclusions: colocynthidis eſt violentiſſimum & valentiſſimum purgans; facile noxam cor-

pori humano inferre valet, in primis, si imprudenter adhibetur; ejus usus summam postulat cautionem prudentiam & circumspectionem semperque consultius est, ejus usu abstineret, si idem effectus per aliud tutius & securius medicamentum potest obtineri; si recte adhibetur, præclare juvare potest, minus vero tempestive aut dosi non justa nec bene præparata aut debite cum aliis coniuncta magnas noxas homini inferre valet, quæ sunt hypercathartis, spasmodicæ constrictiones, convulsiones, ingentes dolores, sanguinis profluvia, inflammations immo mors ipsa; subjectis teneris, debilibus, spasmis & doloribus obnoxiiis, morbo acuto afflicti, pueris, senibus, gravidis, puerperis, cholericis, biliosis, hypochondriacis & hystericas minime convenit, contra autem in gravibus curatu difficilibus & pertinacibus morbis, leniorum medicamentorum viribus non expugnandis & in robustis subjectis potest usurpari, & si legitime adhibetur egregios producere effectus atque ab aliis lenioribus medicamentis non expectandos. *Omnes has animo secum perpendens conclusiones observationibus §. IX. X. allegatis deprehendet consentaneas.*

### §. XII.

Egregium  
remedium  
stomachale  
& pectorale  
ex colocyn-  
thide paran-  
dum.

In eorum, quæ §. XI. afferui, testimonium adducam ex celeberrimi b. m. Schulzii dissertatione de colocynthide pauca de ejus usibus non adeo longo usu compertis & experientiae suffragio commendandis. Colocynthidem trochiscatam cum correctore Starckeyano subastam tanquam sumnum stomachicum commendat celeberrimus medicorum, qui apud Batavos florent. Granum unum vel alterum pro dosi sufficient. Idem confirmat Excellentissimus b. m. SCHAAERSCHMIDIUS, utpote qui in Therapiæ Generalis a D. D. Meehsen editæ Sectione secunda pag. 331. scribit ita: colocynthis per se ad unum vel duo grana cum sapone Starckeyano commixta dicitur egregium esse remedium stomachicum fuitque arcanum Boerhavii. Quid, si hoc

hoc imitati, pergit laudatus Schulzius loco citato, pilulas stomachicas ad imitationem Starckyanarum, sumta ellebori loco colocynthide & opio conjuncta concinnemus? Ratio suadet: experientiae permittitur. Celeberrimus chemicus, natione Germanus, qui extra patriam famam consecutus est, multis, qui respiratione difficiili & pectoris angustia laboraverunt, opem tulit ex creta Hispanica, trochiscis alhandal & cinnabari. Fallor! an determinari debet usus ad illos ægrotos, qui hydrope pectoris laborant: quibus etiam elaterium, in multis colocynthidi conveniens, opem affert præclaram.

§. XIII.

Usuro colocynthidis pulpa interne auctor sum & suasor, De ratione ut illam non in substantia sed sub forma trochiscorum alhan- colocynthi- dal vel extracti aquosi adhibeat. Pulpa enim colocynthidis dem exhib- instar corii tenax & pistillo resistens haud facile comminui- bendi sub tur, quare optimum est, illam per gummosos succos inter- forma mixtos in trochiscorum formam redigere, ut eo facilius in rum, pulverem minutum conteri possit nec uni fortiter adhære- scat intestinorum loco atque intestinorum dolores spasmos atque inflammations exciter sed eo facilius per longum intestinorum canalem possit promoveri, ad quod accedit, quod guummata intermixta hac ratione ope mucilaginis, quam continent, vim ejus draisticam imminuant & corrigant atque ad usum tutiorem reddant & securiorem, hinc etiam vix alia, quam horum trochiscorum forma additur medicamen- tis. Multum vero interest, quæri a medico, quam propor- tionem pharmacopæus in admiscendis mucilaginibus obser- vaverit. Alii enim ad decem uncias pulpæ colocynthidis mucilaginum drachmas octodecim assumunt, alii non amplius addunt decem drachmis pulpæ, recentiores vero rei pharmaceuticæ auctores decem uncias, non drachmas ponunt, ad quas Dispensatorium Regium & Electorale Borusso - Brandenburgicum ut & Augustanum, Ratisbo- nense ac Argentoratense requirunt sex mucilaginum drach- mas:

mas: Noribergense autem ac Londinense cum omni antiquitate drachmas octodecim rectius præscribunt. Si non reprehendendi parciorem quantitatem justam haberemus causam, commemoranda tamen est diversitas, ut in præscribendo pro ea dosis moderemur. Summa dosis trochisorum horum ad præscriptum Dispensatorii Regii ac Electoralis Borusso-Brandenburgici paratorum est ad grana sex vel decem, at vero hodie soli ad purgandum non adhibentur, commode tamen adduntur pilulis purgantibus, quo extimulentur, sufficientque huic scopo grana duo vel tria. Denique notandum est, eos nominari TROCHISCOS ALHANDAL, quoniam vox Arabica alhandal significat colocynthidem.

#### §. XIV.

*Extracta co-  
locynthidis.*

Non incommode quoque colocynthis usurpari potest sub forma extracti, in primis, si id cum larga aquæ quantitate, forti & diurna coctione, paratur: hac enim ratione vim purgantium drafticam omnium optime infringi debilitari & corrigi experientia demonstrat. Solum non adhibetur ob vehementem acrimoniam & vim drafticam, quam continet, licet ea coctione maxime fuerit imminuta, sed stimuli loco aliis lenioribus & lentioribus in pilularum formam redigendis adduntur grana duo, tria, sex ad decem. Præparari quoque potest ex colocynthide, prout loco menstrui spiritus vini rectificatissimus vel vinum adhibetur, EXTRACTUM RESINOSUM & VINO SUM. Quidam laudant EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS RESINOSUM SECUNDUM, quod conficitur ope spiritus vini rectificatissimi ex pulpa colocynthidis, e qua antea ope aquæ extractum aquosum fuit paratum. Si lenius extractum colocynthidis resinosum desideratur, id commode quoque ex extracto ejus aquoso cum larga aquæ quantitate & forti diurnaque coctione parato præparari potest, si id ope spiritus vini itetum extrahitur & hoc abstracto decenter inspissatur, facile autem appareret, hujus extracti hac ratione parati modicam tantum & parvam ob-

obtineri quantitatem. Deprehenditur quoque in Dispensatorio Regio & Electorali Borusso-Brandenburgico præscriptio extracti trochisorum alhandal sed non concinna & superflua.

§. XV.

Ingreditur colocynthis sic dictum spiritum vitæ aureum Spiritus vitæ aureus Rulandi, qui nomen tincturæ vel essentiae majori jure quam spiritus meretur & duplex est, vel simplex, qui extrahendo solos trochiscos alhandal ope spiritus vini paratur & rectius tinctura vel essentia trochisorum alhandal vel tinctura colo- & compo- cynthidis nominari potest, & oleum colocynthi- & oleum dis. duas drachmas trochisorum alhandal & duas uncias diacar- thami Arnoldi de Villanova ope non nimis rectificati spi- ritus vini Hispanici instar essentiae paratur & potius essentiae vel tincturæ trochisorum alhandal vel colocynthidis com- positæ nomen meretur. Oleum colocynthidis per coctio- nem paratum adhibetur contra vermes ac pediculos & eam ob causam additur unguentis & cataplasmatibus umbilico impo- nendis ad vermes necandos atque expellendos.

§. XVI.

Inter veteres compositiones, quæ multum colocyn- Confectio thidis cum aliis purgantibus simul recipiunt, ut fere basis hamech, pilu- haberi pulpa mereatur, sunt CONFECTIO HAMECH, PI- LULÆ ILIACÆ RHASIS, ejusdemque auctoris, quæ dicun- tur, COCHIAE & FOETIDÆ MAJORES. Confectio Ha- mech dabatur olim frequentissime in quovis morbo chrono- co contumaci, ut feribus quartanis diuturnis, cancro, le- pra, scabie, cum decocto vel infuso ellebori nigri a drach- mis duabus ad sex vel unciam integrum. Quin nec hodie, ubi concinna medicamenta & parvæ doses tantopere qua- runtur, usu omnino excidit & seorsim ad luem venereum a quibusdam experitur. Primus id suspectum fecit REINE- RUS SOLENANDER & hunc secutus CASP. HOFFMAN- NUS. Si quis clysteribus addere voluerit, unciam unam & Nicolai mat. med. P. II da.

G

alte.

alteram pro adultis præscribere poterit, sed præterea etiam ad alium externum nec contemnendum usum, nimirum ad alvum arctissime clausam aperiendam, adhibetur, quo fine cum æquali portione unguenti populei miscetur & plantis pedum apponitur, exoptatissimo, ut aliqui experti sunt, cum successu. REMBERT DODONÆUS in stirp. histor. lib. XII. cap. 26. tanquam exemplum utilissimæ conjunctionis purgantium cum colocynthide laudat PLULAS ILIACAS a Rhase ad Almans. Lib. IX. cap. 71. descriptas. Sunt in illis colocynthidis drachmæ decem, scammonei tres, sagapeni decem, & hæc compositio, inquit, tametsi fortissima eaque nec temere nec citra urgentem necessitatem sit utendum, facile tamen ac citra magnas molestias expurgat & cum minoribus torsionibus, quam pleraque mitiora clementioraque medicamenta. SYDENAMUS FREINDIUS aliique Angli, etiam Galli, frequenter utuntur PILULIS DE DUOBUS, quæ ex trochiscis alhandal & scammonii æqualibus partibus constant, in primis laudatus FREINDIUS iisdem ad quindecim grana feliciter se uti in variolis confluentibus in Commentar. de febribus ad Hippocratem cap. VII. pag. 206. testatur. Sunt hæc, uti quilibet, perspicit, illarum imitamentum. Adde Rolfinckium de purgantibus vegetab. pag. 149, ubi quoque Theophrastus Paracelsus Rhæsen imitatus ostenditur.

## §. XVII.

Continuatio  
antecedentis.

PILULÆ, quæ vocantur COCHIZ a vulgo petuntur sub nomine geschärfte Hauptpillen, ex Rhasis descriptione in officinas nostras transierunt & Græci iis nomen fecerunt τὰ σοκκια, quasi cocculi, grana, pilulæ. Drachma earum capit colocynthidis grana septem, scammonei grana quinque, turpethi grana tredecim, reliqua in molem faciunt species hieræ stoechas & ex ea paratus syrups. Pro dosi sufficit scrupulus unus vel drachma dimidia. In hemicrania, cephalæa diuturna, obauditione, affectibus soporiferis minime sunt contemnenda in subjectis robustis & necessitate ferente. Pilulæ foetidæ majo-

majores ab antiquis usurpatæ fuerunt ad humores crassos & pituitosQS evacuandos. Basin faciunt colocynthis cum gummi ammoniaco oponace & sagapeno, quorum singula ad drachmas quinque capiuntur; turbith ad drachmas quatuor, esula diacrydium & euphorbium exigua quantitate accedunt. Dantur ex veterum præscripto ad drachmam unam cum semisse sed satis efficaces sunt duo scrupuli. SYLVIUS ad febrem quartanam antiquam cum fructu dedit scrupulum.

§. XVIII.

Denique ingreditur colocynthis extractum panchyma- Extractum  
gogum Crollii & catholicum. Crollius introduxit extra- panchyma-  
ctum panchymagogum duplicumque ejus posuit descriptio- gogum Crol-  
nem: unam, ubi colocynthis cum multis aliis extrahitur & lii & cho-  
in crassamentum pilulis formandis aptum redigitur: alteram, gogum.  
ubi extracto, quo sit efficacius, colocynthidis trochiscatae  
aliorumque purgantium bene larga portio additur. Atque  
hoc ultimum extractum cum mercurio dulci in pilulas reda-  
ctum in curandis morbis venereis & scabiosis egregie se ge-  
rit. En! exemplum:

Recipe extracti panchym. Croll. grana XII.

mercur. dulc. grana VI.

resin. jalapp. præpar. grana III.

M. f. cum ess. succini vel cort. citri q. f. pilulæ  
pro una dosi.

Si pilulas laxantes sine mercurio desideras, eas pro una dosi  
præscribas ex extracti panchymagogi Crollii & massæ pilu-  
larum balsamicarum ad mentem Hoffmanni paratarum  
§. XXII. Cap. V. de aloe scrupulo dimidio. Idem extra-  
ctum ad duos scrupulos in mixturæ simplicis uncia dimidia  
solutum abit in mixturam, quæ elexir polychrestum Ha-  
lense dicitur & purgationibus non inutilis est. Conferdicta  
§. XXXIII. Cap. V. de aloe. Cholagogum extractum ratio-  
ne virium panchymagogi convenit potestque unum pro al-  
tero capi.

G 2

CA.

## CAPVT VIII.

DE

## SCAMMONIO.

## §. I.

Scammonio  
neum quid  
sit.

**S**CAMMONIUM, SCAMMONEUM, SCAMMONIA, SCAMMONEA, SACHMUNIA, DIACRYDUM, est succus siccus concretus, qui ex planta, convolvuli specie, quæ a Botanicis dicitur convolvulus Syriacus & scammonia Syriaca, exsiccando paratur, resinosis & gummosus, friabilis, fractu facilis, splendens, ab attractu linguae humidæ lactescens, coloris, si est impurius vel vilius, nigricantis, e cinereo nigricantis, saporis acris mordentis nauseosi & odoris ingratii.

## §. II.

Selectus  
scammoniae  
ad usum me-  
dicum.

Ad usum medicum eligendum est scammonium purum, nitidum, pellucidum, leve, tenerum, fractu facile, friabile, in pulverem resolutu facillimum, linguam non vehementer adurens, linguae humidæ admotum vel humoris alicujus admixtione albescens & lactescens, coloris non admodum nigri sed grysei, vel, qui omnium optimus bonitatis character est, flavescentis. Rejiciendum contra est nigrum, durum, adustum, ponderosum, arenulis, lapillis vel aliis materiais heterogeneis refertum.

## §. III.

Scammonio  
neum Alep-  
pense &  
Smyrnæum  
eorumque  
characteres.

DUÆ SCAMMONII SPECIES dantur, UNUM ALEP-  
PENSE, ALTERUM SMYRNAEUM. SCAMMONEUM ALEP-  
PENSE est leve, rarum, fungosum, friabile, e cinereo ni-  
gricans, splendens, dum frangitur, in pulverem, si digitis  
tractatur, albidum vel cinereum abiens, saporis amaricantis  
eum quadam acrimonia & odoris virulenti. Ex Aleppo,  
Syriae

Syriæ metropoli, ubi colligitur, ad nos pervenit. SCAMMONIUM SMYRNÆUM est nigrius, densius, ponderosius, asperius, fractu difficultius atque impurius. Ex Smyrna ad nos pervenit: illuc vero affertur ex urbe Gallo-Græciae sive Galatiae Conteio nunc Cuté dicta & ex Iconio nunc Cogni dicto Licaoniae seu Cappadociæ provinciæ non procul a flexu Tauri montis, ubi largus ejus proventus, uti vir clarissimus & rei botanicæ peritissimus D. Sherard Anglus, qui Smyrnæ per tredecim annos nationis Anglicæ consulatum gessit, illustri Geoffroy narravit. Aleppense Scammonium longe præstantius est Smyrnæo.

## §. IV.

Planta scammonium largiens dicitur convolvulus Syria-  
Planta scam-  
eus & Scammonea Syriaca. Nascitur in Syria, solum pingue monium sup-  
amat & plerumque ad trium ulnarum altitudinem excrescit, peditans.  
ramusculis seu caulis tenuibus hinc & inde repentibus  
scendantibus & circa vicinas plantas se convolventibus. Ra-  
dix ejus est longa, crassa, bryoniacæ forma, foris gryeo-  
brunnea, intus albida, fibrosa & succo lacteo, quo reliquæ  
quoque ejus partes scatent, turgida. Folia fert in caulis alterno ordine disposita, lata, triangularia, figuram cordis  
fere referentia, convolvuli minoris arvensis foliis similia cum  
basi sagittata & petiolis brevibus insidentia. Flores gerit  
campaniformes ex candido purpurascentes vel flavescentes.  
Horum pistillum abit in capitulum seu capsulam acumina-  
tam membranaceam semina nigra angularia includentem.  
Referente jam laudato D. Sherard convolvulus quidam fo-  
liis hirsutis crescit circa Smyrnam, sed ex hoc nullus extra-  
hitur succus, ibidemque ubique tanta in copia scammonia  
Syriaca seu convolvulus foliis glabris nascitur, ut solus suf-  
ficiat ad tantam scammonii quantitatem, quantam con-  
sumunt, largiendam, neque ad hunc extrahendum suc-  
cum scammonia quounque loco nata sed ea præcipue, quæ  
in declivi montis sub Smyrnæ castello crescit, expetitur,

G 3

ubi

ubi remota paululum terra radicem detectam incident & vulneri mytulorum conchas apponunt, quibus succus lacteus excipitur atque exsiccatus asservatur. Hujus generis scammonium ad nos non pervenit, sed omne, quod per Smyrnam ad nos venit, scammonium ex Conteio & Iconio afferatur & mercatores his in locis ex eodem convolvulo glabro id colligi afferunt. Alii, inter quos Tournefortius eminet, scammonium ex convolvuli Syriaci tam glabri quam hirsuti succo inspissando parari contendunt.

## §. V.

Modus col-  
ligendi scam-  
monium  
eiusque va-  
rietas pro di-  
verso, quo  
paratur, mo-  
do.

Varii ab auctoribus recensentur **scammonium** e planta §. IV descripta obtainendi modi. Nonnulli ejus radicem e terra evulsam vel non evulsam incidi, ex his incisuris scammonium sub forma succi lactei exstallare atque exsiccati, postea radicem discindi & succum adhuc in ea residuum exprimi, qui vero priori eradicte incisa sponte effluente inferior est bonitate perhibent. Alii succum e radice foliis caulis, paucis, tota planta §. IV. descripta exprimi atque inspissari contendunt, alii alio modo scammoneum extrahendi rationem describunt, ita, ut certo determinari nequeat, utrum illud, quod ad nos adfertur, scammonium e tota planta, an ejus tantum partibus, utrum incisione cum expressione conjuncta an sola incisione sine expressione extraheatur, verisimile tamen est, illas scammonei glebas, quae ad nos portantur, ex succis tum incisione tum expressione extractis esse coagmentatas, unde etiam tanta, quanta in eadem gleba deprehenditur, varietas derivanda esse videtur. Hoc interea ex dictis appareat, quod scammonium, prout e radice sola vel pluribus plantae partibus vel sola incisione vel expressione magis vel minus violenta elicetur & magis vel minus cum aliis heterogeneis miscetur, praestantia ac puritate admodum diversum obtineatur. Sic scammonii lacryma, quae ex radice incisa sponte fluit, qualis circa Smyrnam in conchis colligitur §. IV, reliquis scammonii speciebus longe est praestantor, sed nunquam vel saltim rarissime ad nos venit. Colore est

est pellucido albicante vel flavescente resinæ vel glutinis tau-  
rini instar. De tali scammonio pellucido LOBELIUS &  
PENA in Adversariis mentionem faciunt, illud autem,  
quod ad nos apportatur, scammonium est in glebas com-  
pactum, opacum, cinereum vel e cinereo-nigricans.

§. VI.

Scammonei emtoribus maximopere est cavendum, Adulteratio-  
ne decipientur. Sæpe enim glebæ scammonii in exteriori nes scammo-  
superficie bono sunt obductæ scammoneo, intus vero car-  
nei.  
bones, lapides vel alias materias perregrinas continent, quod  
hominum scammonium præparantium malitia lucisque cu-  
piditati vel negligentiæ seorsim vel conjunctim debetur.  
Multi ex resina pini & pulveribus drasticis artificio dolo  
præparant massam scammoneo similem & pro genuino  
scammoneo vendunt. Alii impostores scammonium tithy-  
mali vel aliarum plantarum drasticarum & virulentarum suc-  
co, colophonio, plumbo, farina fabarum vel aliis adulte-  
rant in magnum eorum, a quibus adhibetur, salutis detri-  
mentum.

§. VII.

Dixi, scammoneum constare ex parte tam resinosa Scammo-  
quam gummosa §. I. & restat, ut hoc demonstrem. Appa- nium constat  
ret id ex analysi chemica, quam Clarissimus GEOFFROY a) ex parte re-  
BOULDUC b) & CARTHEUSERUS c) cum scammonio in-  
stituerunt. Beneficio hujus detexerunt, quod substantiam re-  
sinosam & gummosam contineat, ita, ut illa hanc quantitate  
supereret & maxima pars scammonii sit resinosa reliqua gum-  
mosa. Maxime acrem scammonii qualitatem demonstrat  
sapor ejus acer & urens §. CCXXIV. Sect. IV. Part. I. & §. L  
hujus capit. a) resinosa gum-  
mosa & sub-  
stantia acri.

§. VIII.

a) Tractat. de Mater. Med. Tom. II. Sect. I. cap. VIII. artic. 2.  
pag. 669.

b) Memoires de l'academie Royale des sciences an. 1709.

c) Fundam. Mat. Med. Part. I. Sect. X. cap. XI. §. III.

## §. VIII.

**Observatio.** Experientia docuit, quod pars scammonii resinosa  
nes de virtute scammonii gummosam virtutis vehementia longe superet, alvum cum  
pluribus & majoribus incommodis & tormentibus moveat  
ejusque par-

& longe facilius & magis spasmos inflammationes aliae  
damna excitare soleat quam gummosa. Hæc, ut experien-  
tia compertum fuit, alvum blande movet & diureticum ex-  
serit effectum, cum tenerioribus particulis resinosis commix-  
ta effectum edit optimum, dum non sufficienter solum sed  
tuto etiam purgat. Obtinetur hæc ipsa, quando scammonium  
electum cum aqua simplici in mortario lapideo aliquamdiu teritur vel etiam aceto destillato aut cydoniorum  
fucco extrahitur. In easu priori aqua redditur lactea, quod  
manifestum præbet documentum, cum gummosis partibus,  
quas aqua perfecte solvit, simul resinosas quasdam secedere,  
quæ postea sub aquæ lacteæ evaporatione & inspissatione  
reliquis intimius miscentur. Videantur Viri de materia me-  
dica optime meriti, Excellentissimus Cartheuserus & Boul-  
duc locis citatis. Illustris Geoffroy scribit loco citato: ego  
scammonium electum & rite pulveratum a granis duobus  
vel tribus ad grana decem vel duodecim ad tumulum exhibeo  
sed rarissime nec absque sollicitudine de operatione,  
quæ semper incerta est. Nam quando, pergit, ventriculi  
& intestinorum parietes muco feculento uberrimo & tenaci  
obducuntur, tunc scammonium hoc muco involutum irri-  
tum & iners per intestina permeat, cum e contra nullo fere  
muco intestinali membranæ illiniuntur, scammonium vel  
in rugis ventriculi vel in intestinali cellulæ inherens &  
membranis adhaerens ob resinosas suas partes membrana-  
rum fibras irritat, convellit, inflamat, exulcerat; unde  
etiam ab exigua dosi superpurgationes tenesmi & dysente-  
riæ. Hisce refragantur Clarissimi Boulduc observationes,  
in quibus usum selecti scammonei nullam vehementem & dra-  
sticam operationem nullaque damna produxisse loco citato  
animadvertisit, sed facile has observationes sibi non repugnare,  
dummodo legitime limitentur, ex infra dicendis apparebit.

## §. IX.

## §. IX.

Scammonium tum Græcis tum Arabibus fuit cognitum atque usitatum & a Mesue habetur medicamentorum purgantium maximum, adeo, ut nomine purgantis remedii simpliciter adhibito per ~~atropos gallos~~ scammonium intelligatur, & ab Oribasio omnium purgantium violentissimum. FERNELIUS in Methodo medendi Lib. V. cap. 9. scammonii modum agendi ita describit: bilem tenuem atque citrinam ex universo corpore simulque aquam citrinam ac seruos humores trahit, cumque vis ejus quasi furens & effrænata sit, promte quidem ac cito & e distantioribus vacuat neque tamen crassiusculos ullos humores seu pituitosos seu biliosos, qui circum præcordia ac viscera concreverunt & obhærent, evellit, sed effectum quasi præcipitans & accelerans eos duntaxat, qui tenues sunt & fluxioni apti, humores secum rapit: idque tum ex abdomen ut hydropicis, tum e venis & summo corpore ac inde pauca succedit emictio. Præterea multorum criminum a medicis accusatur, primo, quod medicamentum sit maxime infidæ atque incertæ operationis, siquidem nonnunquam exigua ejus dosis hypercatharsin excitet & debita ac legitima dosis effectum exferat nullum vel exiguum, deinde quod vehementi acredine partes lædat & gravissima excitet damna, ut spasmoidicas constrictiones flatulentiam, inflammations, febres, exulcerationes, tenesum, dysenteriam, evacuationes nimias &c. & quibusdam partibus, ut hepati ventriculo atque intestinis sit maxime infesta.

## §. X.

Ex adductis observationibus sequentes fluunt conclu-  
siones: pars scammonei resinosa vehementissime operatur & purgat, gummosa vero sola lenissime, & magis diuresin quam alvum movet, commixta autem cum pauca & tene-  
riori substantia resinosa effectum purgantem exserit omnium optime §. VIII; scammoneum in substantia medici expecta-  
tionem frustratur, si non ratione circumstantiarum subjecti,  
in quo adhibetur, habita usurpatur §. VIII. IX, in primis vero in

Nicolai mat. med. P. II da.

H

sub-

subjectis, quae humoribus serosis pituitosis & viscidis abundant, licet sufficienti adhibeatur in dosi, nullum vel exiguum exferit effectum, in aliis vero, quae contraria gaudent constitutione, ut sicca & calida, quorum humores nec abundantia nec visciditate peccant, quae sensibiliore, ad spasmos dolores humorumque rarefactionem & exæstuationem proclivi prædita sunt natura, minus bene segerit sed vehementiores & damnosos exferit effectus, ut spasmoidicas contractiones, flatulentiam, tormina, inflammations, hypercathartes &c. Eandem ob causam in morbis doloribus & spasmis ægrorum maxime afflignantibus & febribus acutis usu ejus abstinere consultum est.

## §. XL

Uſus scammonia.

Quamvis *Scammonium* in subjectis humorum serorum copia repletis, in primis, si viscida & pituitosa depravati sunt qualitate, sèpius nullum vel parvum exferat effectum §. X, nihilominus tamen commode & tuto in ejusmodi subjectis item in morbis, in quibus corpus serorum humorum colluvie scaret vel fluida spissitudinem & tenacitatem nacti fuerunt, usurpari potest, dummodo eo respiciatur ut salutarium medicamentorum usu præmiso humores spissi & tenaces nimis impacti atque fortiter adhærentes immobiles & ad exitum minus apti resolvantur, attenuentur atque ita præparentur, ut accedente scammonii virtute & usu eo facilius & magis evacuentur neque *Scammonium* spe atque expectatione medicum atque ægrum frustretur. Quæ cautela si observatur, nunquam futurum est ut scammonii debita & sufficiens dosis propinata irrita sit atque inanis, ut alias accidere solet §. X. sed potius debitum & sufficientem producit effectum. Præterea cum maxima *Scammonii* virtus dependeat ab ejus parte resinosa §. X, cui indissolubili nexu acredo salina est conjuncta, *Scammonium* in substantia, præcipue vero ejus resinam, magna virtute stimulante & resolvente, aliisque, quæ hinc dependent, virtu-

virtutibus, ut calefaciente, humorum motum secretiones atque excretiones augente, spasmos & dolores excitante, instructam esse oportet §. CCCXCIX - CCCCIX. CCCCCXCVII. Sect. VI. Part. I. atque eam quoque ob causam cum fructu in morbis, in quibus humores abundant, visciditate peccant & partes solidae atonia laborant, cuius generis sunt hydrops, cachexia, chlorosis &c. usurpari potest. Corporibus quoque frigidis & humidis, minus vero calidis morbis & constitutionibus convenit ob adductas rationes.

§. XII.

Quum scammonium sua maxime acri qualitate & resi- De modis  
nosa parte corpori humano sit inimicum atque infestum & corrigendi  
sepius funestos producere solet effectus §. VII - XI. a medi- scammo-  
cis tum antiquioribus tum recentioribus variis fuerunt exco- nium, spe-  
gitati modi illud præparando, seu, si malueris corrigendo, ciatim de  
ad usum internum tutius reddendi & securius. Scammonium diacrydio  
qnocunque modo præparatum hodie in officinis diacry- cydoniato.  
dium, diagrydium, diadagrydium nominatur & sicut a scammo-  
nio crudo distinguitur, rectius vero scribitur dacrydium.  
Veteres, quorum scammonium corrigendi modum refert  
GALENUS Lib. I. de alimentorum facultatibus malum cydo-  
nium excavarunt, excavatum scammonio replerunt, reple-  
tum farina cum aqua subacta obduxerunt, obductam assa-  
runt, & assatum abjecto scammoneo edendum propinarunt.  
Nunc vulgo pulpa removetur & scammonium assatum reti-  
netur, alii pulpam retinent scammonium removentes, alii  
vero cum Galeno utrumque retinent. Tali modo præparatum  
scammonium nominatur diacrydium cydoniatum. Alii  
antiquorum scammonium commixtione cum prisanae cre-  
more; Mesue coctione cum seminibus dauci foeniculi & ga-  
langa sub prunis vel in clibano; Valerius Cordus id adspen-  
gendo & macerando oleo violato & in excavato malo cydo-  
nio, farinacea massa obducto assando, tandem affuso cydo-  
niorum succo, cui myrobalani fuerunt infusæ, in loco calido  
exsiccando corrigerent tentarunt.

H 2

§. XIII.

## §. XIII.

De aliis modis corrigendi scammonium, praecipue diacrydium sulphurato & glycyrrhizato.

Recentiores scammonium miscendo cum succo cydoniorum expresso sensimque evaporando vel sulphure vel decocto glycyrrhizae emendare contendunt; unde exsurgit DIACRYDIUM SULPHURATUM seu SCAMMONIUM SULPHURATUM & DIACRYDIUM GLYCYYRHISATUM. Saepius laudatus BOULDUC præparationem scammonei cum decocto glycyrrhizae singulis reliquis hactenus recensitis correctionibus præfert & sequenti modo loco citato describit:

Rēcepit radicis glycyrrhizae uncias octo & in sufficienti quantitate aquæ simplicis coxit tamdiu donec radix probe fuerit extracta. Cum hoc decocto refrigerato & spontanea subsidentia depurato quatuor scammonii uncias in mortario contrivit, ut liquor probe lactesceret, continuavit hunc laborem, donec nulla amplius solutio fuerit facta posteaque liquorem lacteum blando igne ad decentem spissitudinem rediget; sic circiter uncias tres & drachmas sex extracti solidi obtinuit & residuum scammonium non solutum unciam unam cum dimidia pependit; unde constat, extractum hoc ad minimum uncias duas substantiae resinoso-gummeæ scammonei & quatuordecim fere drachmas extracti glycyrrhizæ continuisse.

Hoc modo præparati scammonii virtutem laxandi egregiam tutam & securam non satis prædicare potest Clarissimus Boulduc. Diacrydium sulphuratum sic conficitur; scammonium in pulverem redactum super chartam extenditur bibulam, suppositis prunis, sulphure modico adsperso fumantibus, suspensam, continuo spatula scammonium agitatur & versatur, donec liquefcere incipit ac albescit. Quo diutius scammonium sulphuris fumo est imbutum, eo melius censetur præparatum. Vocatur etiam scammonium sulphuratum.

Expe-

Experientissimus Dominus Professor Junckerus eo frequen-  
tius summo cum fructu uititur ita praescripto:

Recipe scammonii sulphurati  
mercurii dulcis ana grana sex  
matris perlar. præparatae scrupulum dimidium  
Misce, fiat pulvis. Detur pro una dosi homini  
adulto.

Ad laxandum in spissitudine visciditate humorum cum acri-  
monia conjuncta, ut in lue venerea, scabie, & morbis &  
symptomatibus venereis & scabiosis, glandularum obstructio-  
nibus & tumoribus, tinea capitis, vermibus, egregie con-  
venit. Porro diacrydium sulphuratum constituit basin ma-  
xime famigerati & usitati PULVERIS DE TRIBUS dicti,  
quod nomen obtinuit a numero ingredientium, ex quibus  
componitur. Appellatur quoque PULVIS COMITIS DE  
WARWICH ab illustrissimo Anglo Roberto Dudleio Comi-  
te Varvicensi, ejus inventore, CERBERUS TRICEPS, PUL-  
VIS TRIUM DIABOLORUM, item PULVIS CORNACHINI  
ab ejus præcone, Marco Cornachino, Medicinæ in Gym-  
nasio Pisano Professore, qui libellum scripsit, cuius titulus  
est: Methodus, qua omnes humani corporis affectiones ab  
humoribus copia vel qualitate peccantibus genitæ tuto cito  
& jucunde curantur, quoque methodum hoc pulvere ad  
omnes fere morbos profligandos utendi exposuit. Compo-  
nitur ex diacrydio sulphurato antimonio diaphoretico &  
cremore tartari pro circumstantiarum diversitate varia in  
proportione conjunctis ab auctore, ut diacrydio sulphurato  
a granis sex ad viginti duo, antimonio diaphoretico a gra-  
nis quatuor ad viginti, cremore tartari a granis duobus ad  
sex. In multis vero officinis hodie præparatur ex dictis in-  
gredientibus æquali in quantitate summis siveque dosis pro  
cujuslibet individui diversitate longe facilius & tutius potest  
accommodari, cognoscendo, quantum scammonii insit sin-  
gulis hujus pulveris dosibus. Præscribitur infantibus a grā-  
nis sex ad decem, adultis a scrupulo uno ad duos. Extolli-  
tur a Cornachino ut panacea ad omnes morbos profligan-

dos vel præcavendos, sed laus hæc mihi videtur nimis magna, interea tamen negari nequit, scammonium in hoc pulvere exhibitum nocumenta, quorum supra mentio facta fuit §. VIII-XI. minus efficere, tutius & securius adhiberi & sine fastidio ab ægris adsumi. Nonnulli scammonium corrigere tentant, illud ope succi citri vel cydoniorum vel aceti destillati solvendo solutum inspissando ad extracti consistentiam, quod usui interno destinatur. Clarissimus Boulduc experientia deprehendit, quod scammonii extractum ope aceti destillati factum ad grana duodecim vel quindecim lenem purgationem excitaverit. Quidam spiritu vitrioli vel sulphuris scammonium in pulvere redactum irrorando atque exsiccando emendare solent, sed hæc correctio scammonii qualitatem maximopere pervertit immutat atque imminuit;

## §. XIV.

Modus ex-  
hibendi  
scammo-  
nium.

Si scammonium interne est adhibendum, utendum est diagrydio vel sulphurato modo descripto §. XIII, vel glycyrrhizato vel extracto ejus ope succi citri vel aceti destillati facto; hæc enim omnia bonam & tutam suam purgantem efficaciam experientia dederunt demonstratam §. VIII. XIII. Præterea etiam scammonium, cum vis ejus vehemens & drastica, qua noxas inferre valet, a resinosa ejus parte dependeat §. VIII. X, hac bene correcta aliis modis tuto interne adhiberi potest, e.g.

Recipe scammonei electi & subtilissime pulverisati  
grana sex,  
conchar. præpar. grana octo  
falis tartari grana duo  
amygdal. dulc. excort. drachmam dimidiam  
facchar. canar. scrupulum dimidiam olei de  
cedro guttis duabus subactum  
una tritis affunde

aqua

aquaे cerasor. nigrorum vel  
cinnam. fine vino unciam unam & di-  
midiam

Fiat emulfio, detur pro dosi adultis  
vel

Recipe scammonei electi & probe pulverisati grana sex  
vitell. ovi drachmam dimidiam  
falsis tartari grana duo  
facchari canariensis scrupulum unum cum olei  
de cedro guttis duab̄ commixtum  
una tritis affunde  
aquaе cinam. fine vino uncias duas

Fiat Emulfio prodosi.

Quæ dedi demonstrata §. XLVII. XLVIII. XLIX. L. Cap.  
de Jalappa, etiam hic valent & rationes ingredientium &  
formularum ibidem invenies allegatas. Si potio purgans  
desideratur, ad harum formularum ingredientia addi potest  
syrupus violarum vel de cichoreo cum rhabarbaro.

§. XV.

Præparatur ex scammonio resina, quæ in eadem, qua Resina &  
resina jalappæ, dosi data fortius purgat & vel paulo minori essentia scam-  
monii eam-  
quam hæc vel eadem, qua hæc, dosi ut ad grana sex adul-  
tis nostrauim regionum dari potest. Eadem, qua resina ja-  
di modus,  
lappæ, potest, exhiberi ratione, & omnia ea, quæ de re-  
sina jalappæ supra exposui §. XLVII-LIII, etiam de resina  
scammonii vaient, hinc illa non repetam, hoc tantummo-  
do annotans, quod, si sub forma liquida tineturæ est pro-  
pinanda, æque ac resina jalappæ in tinctura antimonii solu-  
ta exhiberi possit. Hæc etenim tinctura cum constet ex oleo  
& alcali adeoque indolis sit saponaceæ, resinam scammonii  
& jalappæ ad solutionem reddit aptiorem ejusque vim ve-  
hementem & drasticam, qua noxas inferre valet, corrigit  
atque emendat. Essentia seu tinctura scammonii eodem,  
quo essentia jalappæ, præparatur modo, &, quæ de essen-  
tia jalappæ dixi §. LI. LII. cap. III. de jalappa, de scam-  
monii essentia quoque vaent.

CA-



## CAPVT IX.

DE

## GVMMI GVTTA.

§. I.

Variae de-  
nominatio-  
nes gummi  
guttæ.

**G**UMMI GUTTA innumera ac varia obtinuit nomina, quæ a malis, quibus mederi perhibetur, a regione Cambaja, Cambodia vel Cambogia, prout a diversis nationibus pronuntiatur, ab aliis regionibus, e quibus affertur, effectibus, quos producit, qualitatibus, quibus gaudet, & a diversis variarum gentium pronunciationibus & denominacionibus originem traxerunt. Sic dicitur quoque gummi gutte, gummi gotta, gummi guttæ, gummi gitra, gummi glitta, gummi Gamandræ, gummi de gamandra, gamandra & gutta gamandra, gutta gamba, gummi de Goa, gummi de Peru, gummi Peruvianum, gummi de Jemu, gummi laxativum, gutta Gamu, gutta Geman, Ghitta Jemou seu Gemou, gutta Jemau, ghitta gamau, gommi ghitta, catta Gamma, catta Gemu, gutta ad podagram, scammonium orientale, chrysopum, cambodium, cambogium, cambugium cambodia, gutta Cambodiæ Cambodia, cattagauma, cattajemu, succus cambici & succus crambici, succus laxativus, succus Indicus purgans &c. usitatisimæ tamen ejus denominationes sunt gummi gutta, gutta Gamba.

§. II.

Gummi gut-  
ta quid sit.

Gummi gutta est succus resinosis & gummosus, in-  
spissatus, siccatus, densus, durus, inflammabilis, coloris  
flavi vel ex rubro flavi, odoris nullius, gustus organon sa-  
pore in initio resinoso vel nullo afficiens, postea autem ei-  
fensum acrimoniæ siccitatis & ardoris imprimens, sub forma  
massarum orbicularium, placentarum, baculorum cylindra-  
ceorum instar farcimatum, frustorum, ad nos perveniens.

§. III.

§. III.

Bonum gummi gutta debet esse bene siccum, durum, fractu facile, colore non vario sed uno eodemque eleganter flavo & ex rubro flavo tam extus, quam intus ornatum, leve, nitidum, purum, a fabulo aliisque sordibus & heterogeneis materiis liberatum, opacum, nec frustis pellucidis rubris aloæ succotrinæ similibus præditum. Porro bonæ indolis gummi guttae ita debet esse comparatum, ut igni expositum facile liquecat, flammarum concipiat, digitum saliva madefactum flavo tingat colore, &, saporem primo vel nullum vel resinosum, postea vero acrem causticum cum calore & siccitate conjunctum exhibeat.

§. IV.

De origine & proventu hujus succi Autores multas ac Origo varias fovent sententias. Nonnulli eum esse succum ex rhabarbaro recenti expressum atque inspissatum contendunt, alii compositum ex tithymali succo & scammonio vel ex scammonio & succo chelidonii esse perhibent. Quidam ricini Indici succum expressum, multi lacrymam ex vulneratis illius ricini radicibus stillantem & croco Indico tintetum, alii succum seminis ricini succo rhabarbari infectum esse defendunt. Nonnulli eum ex floribus ricini Indici parari & curcuma tingi, alii ex rhamno solutivo parari & multi succum corticis-frangulae cuiusdam esse sibi & aliis persuadent. HERMANNUS eum substantiam esse gummosam & resinosa in duratam flavescentem arboris pomiferæ Chinensis affirmat, & JACOBUS BONTIUS eum lacrymam flavam esse afferit fluentem in Cambodia regione Chinæ vicina ex planta cuidam tithymali speciei simili, quæ excrescit in tantam altitudinem, ut omnes proceras arbores, quas instar hederæ amplectitur, æquet immo superet. Illi, qui hunc succum arboris Indicæ lacrymam habent, afferunt, duas dari diverse specie arbores hunc succum fundentes, in Camboja, China & insula Ceylan crescentes & nomen Carcapulli gerentes, quarum prima dicitur Carcapulli Acostæ

Nicolai mat. med. P. IIda.

I

histor.

histor. aromat. cap. 46. Coddam - Pulli hort. Malab. T. I.  
41. altera Carcapulli Linschot: Carcapulli de Bry: Kanna-  
Ghoraka, id est, Ghoraka dulcis Cingalensis Herman.  
Not. ad hort. Malabar. Ex binarum harum arborum vul-  
neribus, inquit Hermannus, manat succus flavescens, qui  
collectus purgatur a fecibus solutione in aqua pluviali & in-  
spissatur, sed lenissimo igne, alias nigrescit, in massam uni-  
formen flavescentem, quae debitam naeta consistentiam, ut  
manibus tractari possit, in massas orbiculares grandiores vel  
baculos cylindraceos redigitur atque exsiccatur. Casp. Bau-  
hinus in Pinace utramque hanc arborem sub eadem compre-  
hendit specie. Præstare illud gummi gutta & mitius esse  
scribunt, quod Kanna - Ghoraka largitur. Arnoldus Syen  
in suis Commentariis in hortum Malabaricum id genus gum-  
mi gutta, quod modo dictæ largiuntur arbores, a gummi  
gutta in officinis prostante probe esse discernendum ait, ut-  
pote quod ex esula seu tithymalo Indico colligi credit. Dom.  
Richer in quibusdam Americae locis, potissimum in insula  
Cayenna, sylvas offendit arborum magnitudine quercus  
æquantium & gummi gutta fundentium plenas. Affertur  
ad nos ex Cambaja, Siamensi regno, China & quibusdam  
Americae provinciis. Clarissimus Neumannus experiendo  
deprehendit, quod tam spiritus vini quam aqua gummi  
gutta fere totum solvat. Una ejus libra ope spiritus vini recti-  
ficati primum extracta quatuordecim uncias extracti resinosi  
residuum vero in aqua solutum unciam unam extracti aquosi  
suppedavit, ita, ut partium non solutarum & sub operatio-  
ne perditarum pondus ad unciam unam ascenderit. Si gum-  
mi gutta primum aqua extrahitur, ejus libra una largitur ex-  
tracti aquosi uncias tredecim & residuum ope spiritus vini  
rectificati extractum duas uncias extracti resinosi, ita, ut par-  
tes, quæ non solvuntur, unciam unam constituant. Aqua  
olei tartari per deliquium vel liquoris salis tartari quantitate  
vel mediocri imprægnata gummi gutti solvit pene totum.  
Idem laudatus Vir observavit semper, quod tam aqua quam  
spiritus vini non partes tantum vel gummolas vel resinosas  
folias

solas sed alias etiam partes permultas solverit. Vide ejusdem Chemiam Medicam Dogmatico Experimentalē a Dom. D. Kessel editam Vol. II. Pars II. cap. XXXVIII. §. XI. XII. XIII. XIV.

§. V.

Ex his adductis experimentis §. IV. quilibet rei gnarus Partes facile perspiciet gummi gutta constare ex resinosis gummosis paucioribusque solutioni non obedientibus partibus. Cum vero tam spiritus vini quam aqua gummi gutta fere totum solvat §. IV. magna in copia ut contineat partes necesse est, quae tam ab aqua quam a spiritu vini simul solvi possint. Sed haec dicuntur saponaceæ fixiores §. CXCVI. Sect. III. Part. I. Qua de re gummi gutta præter partes gummosas resinosas & paucas non solubiles partes continere quoque debet magnam partium saponacearum fixiorum copiam.

§. VI.

Experientia compertum fuit 1) quod solutio gummi virtutes gutta ope spiritus vini facta vehementius quam solum purum gummi gutta purget, in primis, si menstruo abstracto in formam extracti redacta fuerit, 2) quod extractum hujus gummi aquosum leniorem & parciorem producat purgationem, longeque gradu & copia inferiorem, si idem extractum cum sale tartari fuerit præparatum, & 3) quod extractum aquosum secundum cum oleo tartari per deliquium confectum, id est, post extractionem gummi gutta ope spiritus vini primum institutam paratum parum vel nihil alvum, vehementius autem urinæ fluxum moveat. Confer Neumannii Chemiam medicam Dogmatico-experimentalē a D. D. Kessel editam Vol. II. Part. II. cap. XXXVIII. §. XV. & Mémoires de l'académie Royale des sciences an. 1701. Præterea huic gummi virtutem purgantem draisticam, emeticam, diureticam & hydragogam unanimi fere consensu attribuunt & contra hydropem in primis maximopere commendant. Clarissimus BOULDUC præter varia alia experimenta, quæ

cum gummi gutta instituit & in monumentis academiæ regiae scientiarum Parisiensis an. 1701. consignata sunt, sequentem præcipue laudat præparationem: gummi gutta in peria ligatum pani calido e clibano modo extracto inclusus per viginti quatuor horas in loco calido relinquitur, postea gummi exemptum pulverisatur & in petia denuo ligatum pani calido includitur idque quater vel quinquies reperitur. Hoc modo præparatum gummi gutta virtute sua vehementi emetica & purgante privari & sine violentia alvum movere, panem vero, in quo primum inclusus hæsit, tam vomitum quam purgationem excitare afferit. Verum enim vero compendiosiori via ac opera æque facile immo magis virtutem gumini gutta purgantem atque emeticam imminui posse, si in vale aperto diuturnæ & forti coctioni aqueæ submittitur, mihi saltem persuadeo, cum Clarissimi Boulard præparatio nil nisi partium subtilium & volatilium separationem a gummi gutta efficere possit. In BOERHAVID Tractatu de viribus medicamentorum edit. Parif. 1727. dicitur pag. 291: gummi gutta expellit materiam instar mucinarii, dosis ejus est a grano dimidio ad decem, in vitello ovi aut melle solutum duplicum acquirit vim; quippe menstruum interponendo sese inter partes viscosas exitum præbet acribus; pag. 312: si gustatur, fauces exulcerat iisque tenacissime adhæret atque vesicas excitat; fortissimum quoque est hydragogum: dosis est a grano dimidio ad duodecim, in corporibus autem difficulter movendis plerumque vomitum excitat.

## §. VII.

Virtutes  
gummi gut-  
tae ejusque  
partium.

Acris & urens sapor, quem linguae imprimit gummi gutta §. II. III, locupletissimum de qualitate ejus valde acri & caustica præbet testimonium §. CCXXIV. Sect. IV. Part. I. quam ob rem valde stimulare, vehementer resolvere, humorum motum secretiones atque excretiones magnopere augere debet immo spasmos, dolores & inflammations excitare potest §. CCCXCIX-CCCCIX. Sect. VI. Part. I.

Vi

Vi partium quoque saponacearum & resinosarum, quas continet, §. V, fluida resolvit §. CCCCXCV. CCCCXCIII. Sect. VI. Part. I. & vi partium resinosarum stimulat & calefacit §. CCCCXCIII. CCCCXCIV. Sect. VI. Part. I. Cum vero partes resinoſae & saponaceae fixiores maximam gummi gutta constitutat partem §. V. & valde acri ac cauſtica gaudeat qualitate, virtus stimulans & resolvens in eo debet prædominari. Ab hac virtute stimulante & resolvente hujus gummi reliquæ ejus virtutes ut vomitoria, purgans, diuretica & hydragoga dependet §. CCCCCXLV. CCCCCXLVI. CCCCCXLVII. CCCCCXLVIII. Sect. VI. Part. I. & §. XXV. XXVI. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. Porro cum calor virtutem gummi guttae purgantem & emeticam imminuat §. VI, utraque haec virtus a partibus volatilibus & subtilibus, quæ calore abigi possunt, ut proficiscatur necesse est, atque partim in iisdem partim *potissimum in resinosis & saponaceis fixioribus hujus gummi partibus virtutem ejus stimulanten & resolventem residere haud obscure ex §. VI. liquet.*

§. VIII.

His cognitis facile erit usum gummi gutta determinare. Quum id partes solidas magno afficiat stimulo, potenter resolvat, vomitum & purgationem non sine violentia, calorem & diuresin excitet, immo spasmos dolores & inflammationes facile producere possit §. VI. VII, sequitur, ut in subjectis tenerioris ac sensibilioris naturæ, calidæ & siccæ constitutionis, ad spasmos, dolores, exæstuationem atque inflammationes proclivibus vel his malis obnoxiiis, morbo acuto detentis, humorum serosorum defectu potius quam abundantia laborantibus, quibus natura facile negavit vomitum, gravidis ac puerperis, damnum inferat atque ab ejus usu sit abstinentendum. E contrario in subjectis habitu corporis laxiori præditis, quorum humores abundantia & visciditate peccant, qui in statu versantur paulo antea dicto opposito item in morbis, in quibus partes solidæ laborant

atonia, corpus serosa scatet colluvie & humoribus serofis abundat, fluida tenacitate & visciditate depravati sunt, ad curationem requiritur magna fluidorum viscidorum resolutio, humorum serosorum insignis evacuatio, viscerumque pertinaces atque inveteratae obstrukiones sunt referandae, cum fructu potest usurpari. Haec igitur circumstantiae cum occurrant in hydrope, nullus dubito, hujus gummi usum in hoc malo maxime utilem & salutarem praedicare. Nam in hydrope corpus serosorum humorum abundantia & colluvie scatet, fluida visciditate & tenacitate sunt depravati, partes solidae laborant atonia atque magnae & pertinaces viscera occupant obstrukiones, dein curatio hujus morbi postulat humorum serosorum abundantium & viscidorum resolutionem atque evacuationem per alvum & urinam, ad quod accedit, quod idem hic morbus draftica, si vel maxime solito majori adhibeantur dosi, sine noxa ferat, immo eorum usum sequatur magnum levamen & maxime salutaris effectus. Has igitur ob rationes gummi gutta singularis & plane eximia virtus in hydrope denegari nequit, cum vel omnibus vel saltim plerisque in hydropis curatione indicationibus respondeat & satisfaciat, & commode hoc fine datur pro dosi ad grana quatuor cum massæ pilularum balsamicarum ad mentem Hoffmanni paratarum (§. XXII. Cap. V. de aloë) scrupulo dimidio, & addi quoque possunt summo cum fructu pro una dosi pulvis radicis scillæ & vincetoxici in æquali quantitate ad grana quatuor.

## §. IX.

Uſus gummi  
gutta.

Quum extractum gummi gutta aquosum primum cum oleo tartari per deliquium confectum mitiori gaudeat virtute purgante atque extractum aquosum secundum cum oleo tartari per deliquium paratum parum alvum moveat sed potius urinæ fluxum promoveat §. VI, haec duo extracta ad uſum tum in morbis tum præsertim in hydrope sunt tutiora securiora meliora & aptiora quam gummi gutta in substantia. Quum enim indicatio in hydropis curatione postulat, ut

ut serum per alvum & urinæ fluxum e corpore eliminetur, id vero sine periculo & noxa efficiant memorata duo extracta, summa cum utilitate ad hunc finem possunt usurpari. Accedit, quod in hydrope curando humores viscidi & tenaces sint resolvendi, fluxiles reddendi, ad excretionem præparandi & obstructiones viscerum referandæ. Omnia hæc explent & præstant extracta, de quibus hic mihi sermo est. Alcali ipsis additum virtutem eorum drafticam & causticam imminuit infringit & corrigit, adeoque mala, quæ ab hac proficiunt possunt, præcavet atque avertit & præterea iis impertit virtutes sali alcalino proprias.

## §. X.

In asthmate pituitoso & catarrho pituitoso & usus gummi suffocativo pituita viscida & tenax est resolvenda fluxilis at-gutta, que ad excretionem apta reddenda, decenter resoluta per alvum vomitum aliasque vias eliminanda, pulmo a collectione humorum debilitatus roborandus & stimulatione indiget ad robur ipsis augendum. Jam vero his indicationibus omnibus satisfacit gummi gutta ejusque extractum aquosum primum & secundum cum oleo tartari per deliquum præparatum §. V:X, qua de re gummi gutta ejusque extracta aquosa cum sale alcalino parata effectum in asthmate pituitoso & catarrho suffocativo exsérere debent salutarem. Porro, cum experientia compertum sit, radicem scillæ in asthmate & catarrho præstantissimæ esse efficaciæ, hæc ad duo vel tria grana cum gummi gutta vel ejus extracto aquoso commixta propinari potest salutari cum effectu. Neque in cachexia, in qua partes solidæ atonia laborant, humores ferosi abundant & viscidity & spissitudine depravati sunt, in febre quartana alisque hujus modi morbis usus gummi gutta ejusque extractorum gummosorum cum sale tartari paratorum utilitate caret ob rationes jam adductas.

## §. XI.

Dosis gummi gutta ab auctoribus præscribitur varia Modus exhibendi & do-  
sed semper præstat, minorem adhibere dosin quam majorem.

sis gamini  
gutta.

rem. A multis præscribitur a granis duobus usque ad grana quindecim ad summum immo Clusius dosin extendit ad grana viginti. Illustris GEOFFROY se gummi gutta exhibuisse a granis duobus ad quatuor sine vomitu subsecuto, in nonnullis vero, sed paucis, grana quatuor vomitum excitasse, in eisdem vero eandem dosin per plures dies reiteratam post primam vel alteram vicem non amplius produxisse vomitum afferit. A granis quatuor ad octo vel decem per superiora atque inferiora blande copiose & sine violentia purgare nec ea dosi exhibitum correctione egere, præser-tim, si copioso liquore diluatur, rarius cum mercurio dulci conjunctum, facilius sub forma boli & pilularum vomitum excitare scribitur. Verum enim vero consultius est, parcior-rem adhibere dosin, ut ad grana tria vel quatuor. PHILIP-PUS HOECHSTETTERUS, Medicus Augustanus, quoque observavit, purum & solum gummi gutta plus & vehementius agere quam cum aliis purgantibus mixtum, in pilulis parum & cum infuso plurimum operari. Optime datur sub forma pilularum modo §. VIII. exposito, quamvis etiam in forma potionis, pulveris & limonati vel alia præscribi possit sequenti modo:

Recipe mannae electæ unciam unam  
solve in  
aque calidæ unciis quatuor  
cola & colaturæ adde  
gummi gutta grana tria vel quatuor cum  
oleo tartari per deliquium guttis duabus  
subiecta

aquæ cinnamomi sine vino drachmas tres

Fiat potio duabus haurienda vicibus.

Recipe gummi gutta grana quatuor  
contere cum olei tartari per deliquium guttis  
duabus & dissolve in decocti avenac. vel  
hordei unciis quatuor adde

syrupi

syrupi violarum vel de cichoreo cum  
rhabarbaro unciam unam  
Fiat potio duabus haurienda vicibus.

Possunt quoque grana tria vel quatuor cum aliquot olei tartari per deliquium guttulis subacta in aquæ cujusdam destillatæ ut cinnamoni, menthæ, melissæ sufficienti quantitate solvi & saccharo vel syrupo edulcorari.

Recipe gummi gutta grana quatuor  
cum olei tartari per deliquium guttis paucis  
subacta  
aquæ communis uncias tres vel quatuor  
succum ex malo citreo expressum  
sacchari albissimi unciam dimidiam  
M. f. l. a. Limonatum.

Recipe gummi gutta grana quatuor  
cum olei tartari per deliquium aliquot guttulis  
subacta  
elæosacchari cinnamomi drachmas duas  
M. f. pulvis.

Ratio, cur gummi gutta cum oleo tartari per deliquium subigendum præscripserim, exposita est §. VI. IX.

### §. XII.

Nonnulli indolem gummi gutta drasticam & violentam Correptionem corrigere tentant 1) acidis vel mineralibus vel vegetabilibus, ut spiritu vitrioli, succo citri, cydoniorum 2) oleis gutta, destillatis ut oleo cinnamomi, anisi, macis aut aliis 3) salibus mediis ut tartaro vitriolato, 4) alcalinis 5) aquis destillatis & syrupis, sed, si meam licet expónere sententiam, nullus dubito correctionem gummi gutta per alcalina omnibus aliis correctionibus præferre, his rationibus nitens, quoniam alcalina purgantium & vomitoriorum vegetabilium vim drasticam & violentam infringunt & corrigunt & experientia docuit, quod idem cum gummi gutta contingat

§. VI. PHILIPPUS HOECHSTETTERUS autem, ut  
Nicolai mat. med. P. IIa. K vomi-

vomitum impediret & stomacho aptius redderet gumini gutta, addidit ei aquam betulae cum paucis spiritus vitrioli guttis.

### §. XIII.

*Esseutia &  
magisterium  
gummi gutta.*

Præparata ex gummi gutta sunt essentia & magisterium sed parum vel plane non hodie usitata. Essentiam vero gummi gutta paraturus digerat hoc in pulverem redactum cum spiritu vini non summe rectificato & solutionem filtrat. Quidam loco spiritus vini adhibent spiritum tartari. Magisterium præparatur solvendo gummi gutta in spiritu vini summe rectificato & solutionem ope aquæ, vel olei tartari per deliquium præcipitando vel solvendo gummi gutta in spiritu vini ordinario & ope aceti destillati præcipitando solutionem, præcipitatum aqua edulcorando & leniter exsiccando.

### §. XIV.

*Uſus gummi  
gutta mecha-  
nicus.*

Tinctores, pictores & pistores cupediorum saccharatorum creberrime utuntur gummi gutta ad colorem rebus suis inducendum. Apud Indos usui medico non inservit, ipsis tantum pro pigmento est. Illud in oleo lini dissolvunt & quando alvi adstrictione laborant, hauriunt pigmentum. Fructus Coddam-pulli siccus ex Malabarria in alias fertur provincias. Eo utuntur in cibis magnisque laudibus in curationibus extollunt incolæ, præsertim ad fluorem album & gonorrhœam cohibendam.

## CAPVT X. DE CASSIA FISTVLARI.

### §. I.

*Cassia quid  
sit & ejus  
species.*

**T**res in officinis reperiuntur species cassiæ probe a se in vicem discernendæ 1) **CASSIA FISTULARIS** 2) **CASSIA LIGNEA** & 3) **CASSIA CARYOPHYLLATA**. Cassia fistu-

fistularis dicitur etiam cassia fistula, cassia solutiva, cassia nigra, cassia in cannis, cassia purgatrix, cassia cathartica, siliqua purgatrix, cassia siliqua, seu siliquosa, &c. Fruetus est exoticus siliquosus seu siliqua longa, rotunda, cylindracea, extrinsecus circumdata cortice lignoso, duro, foris ex rubro nigricante, intus flavescente, in varia loculamenta a septis transversim positis, parallelis, ligneis, tenuibus, interius diviso, in quibus pulpa mollis, nigra, dulcis cum seminibus inclusa haeret. Nascitur in Aegypto, India tam occidentali quam orientali, Java, Malabar, Decan, Guzurate, Hispaniola, Cuba, Jamaica, insula St. Dominico, St. Juan de Porterico aliisque regionibus, & hodierno adhuc aëvo magna in copia per Alexandriam & Memphis ad nos perferritur. Duplex in officinis prostat, altera Orientalis seu Alexandrina vel Aegyptiaca, quæ ex Aegypto nobis adferuntur: altera Occidentalis, quæ in America ejusque insulis exculta maxima copia & minori pretio ad nos devehitur. Hujus cortex est crassior magis asper & rugosus, medulla acris & nauseosa, illius vero cortex tenuior, intensius nigricans, pulpa dulcis nec ingrata gustu & occidentali anteponit, interea tamen haec quoque in Gallia præsertim in usum trahitur.

## §. II.

Cassia fistularis, quo recentior est, eo mollior & magis unctuosa est interna pulpa eoque fortius ei adhaerent semina & hoc quoque in causa est, ut recens cassia succus agitata non edat sonitum, quoniam semina in ea intus contenta ob nimiam cum pulpa cohesionem non commoventur & ad parietes ejus allidunt. Quo vetustior vero fit, eo magis pulpæ humiditas exhalat & eo magis ejus spissitudo tenacitas siccitas & durities increscit, copia vero decrescit, ita, ut tandem plene exsiccatur, in admodum exigua copia apparet, loculamenta fere vacua fiant, semina a cohaesione cum pulpa liberentur & succus agitata strepitum & sonum producant. Omnia haec eo facilius & majori in gradu fiunt,

K 2

quo

Cassia sele-  
ctus ad usum  
medicinæ &  
characteres  
bonitatis.

quo calidior est locus, in quo asservantur cassiae. Si vero in locis jacent humidis, pulpa facile mucore corruptitur, & si calor simul accedit humiditati, in fermentationem abit, acescit & depravatur. Bona cassia debet esse extrinsecus colore prædicta nigricante puniceo seu ex spadiceo nigricante splendente, recens, ponderosa, succussu agitata non resonans, putamine tenui intus flavescente & albido obducta & maxime repleta pulpa, quæ nec nimis humida nec nimis exsiccata nec situ obducta sed mediocriter glutinosa spissa, nigredine splendente, dulci & paululum nauseoso sapore dulcique & paululum ingrato odore prædicta esse debet. Porro sapor pulpæ nec sit austerus & acerbus vel statim in initio adversus, alias enim pulpa est immatura, nec acidus, alias enim est vel vetustate vel fermentatione corrupta. Quo dulcior pulpæ sapor est, eo melior est, & sapor ejus ad roob prunorum saporem accedere & in fine pauxillum nauseosi, nihil vero acris vel austeri in lingua relinquere debet. Si cassiae in loco asservantur humido, pulpa earum, in primis, si calor accedit, in fermentationem abit, acescit, situm contrahit & corruptitur. Eas in cellis vinariis, latèbris aut cavernis humidis asservare, arena operire & aqua adspargere solent mercatores, ut pleniores ac recentiores videantur, sed hoc plus damni quam emolumenti affert, quoniam accelerat & promovet pulpæ fermentationem & corruptionem. Hæc sola in usum venit, rejectis seminibus, cortice exteriori lignoso & septis ejusdem indolis.

### §. III.

Arbor, quæ  
cassiam fistu-  
larem gerit.

Arbor, quæ cassiam fistularem gerit, dicitur a TOUR-  
NEFORTIO & CASP. BAUHINO Cassia fistula Alexandri-  
na, a LONICERO & CASTORE Cassia laxativa, a BEL-  
LONIO MONARDE & GARCIA cassia solutiva, cassia  
Aegyptia sive purgans CAMERARII, cassia solutiva vulga-  
ris PARCKINSONI, cassia nigra DODONÆI, cassia fistula  
vulgaris flore luteo BREYNIT Prodrom. sec. arbor cassiam  
solutivam ferens BONTII, dulcis calamus NICOLAI  
MYRE-

MYREPSI, cassia purgatrix JOANNIS BAUHINI, filique  
sive cassia cathartica Lugd. Quauhayohuatli secunda seu  
cassia fistula Hernandes, conna horti Malabarici A R. P.  
PUMBERIO in suo Botanico Americano manuscripto Vol.  
VII. fol. 103. describitur ita: nucibus juglandibus nostratis  
bus similis sit arbor, si situm ramorum seriemque foliorum  
speces, licet cortice tenuiori, politiori, deforis leuco-  
phæo, intus vero carneo truncus ejus vestiatur. Ejusdem  
autem trunci materies solida e rufo intus nigricans alburno-  
que pallido circumdata. Folia fere nucum nostratum pro-  
ferunt rami, bina scilicet & bina, juxta ramusculos seu co-  
stas tenues virentes, pedem & semis circiter longas & ad  
exortum tumescentes. *Quinque aut sex* foliorum conjugatio-  
nes ut plurimum uni cuique adhaerescunt costæ, finiri tamen  
quasdam unico singulari folio saepe contingit. Singula folia  
nucum foliorum colorem fere soliditatemque obtinent, licet  
propter costularum tenuitatem paulo magis in superficie  
uniantur. Formam cuspidis lanceæ referunt etiam, quinque  
aut quatuor scilicet pollices longa, duos circiter lata, in  
summitate acuminata & ad basin rotundata. Circa eosdem  
foliorum ramusculos aut costas ramusculi alii paulo longiores  
tres aut quatuor simul enascuntur plurimis onusti floribus  
jucundo sane spectaculo conspicuntur. Quilibet autem  
flos pediculo appendet duos pollices circiter longo caly-  
cemque obtinet concavum quinque foliolis fere ovatis e vi-  
ridi lutescentibus & dimidiæ unguæ magnitudinem vix su-  
perantibus efformatum. Ex illo calyce quinque exoriuntur  
petala in orbem posita per pulchre lutescentia & coch-  
learis in modum omnino excavata & cochlearis etiam  
modo subrotunda. Ex his ramen quinque petalis duo  
paulo aliis sunt ampliora singulaque pollicis amplitudinem  
vix excedunt costulisque levibus per totum sunt venosa. Ex  
eodem calyce decem staminula luteo-pallida & apice luteo  
singula pollentia exsurgunt sed varia & inæqualia; quædam  
scilicet aliis longiora & aliis breviora: tria tandem adunca  
sunt, septem vero recta. Inter hæc stamina pistillum pro-

minet vermiculo virenti & adunco simile, quod tandem in siliquam evadit teretem, rectam, paulo minus pollicem crassam & pedem & semis circiter longam. Lignosa materia tenui tamen constat jam dicta siliqua; tubusque ligneus proprie inest undique clausus curicula induitus e nigro castanea minutissimisque rugis transversim exarata, exceptis ventre & dorso, quorum longitudinem percurrit fasciola omnium glabra & unita. Innumeris etiam intus discernitur cellulis ille tubus, quas laminæ tenues lignosæ, orbiculares & parallelæ efformant, pulpa medullosa, dulci, primum albicanter, dein flavescente, tandem per maturitatem nigricante oblinitæ. In qualibet cellula semen continetur durum, subrotundum, compressum fere cordiforme castaneoque colore delibutum ac tandem filo tenuissimo ad cellulæ parientes alligato. Aprili & Majo potissimum floret hæc arbor in Americanis insulis; dumque floret, foliis suis omnibus privatur, ut id amygdalis pomis persicis multisque aliis nostratis arboribus contingere in Europa miramur. Non in America solum hæc arbor sed in aliis etiam regionibus, ut Indiis orientalibus Africa, Aegypto & omnibus fere Indiae orientalis provinciis calidis nascitur. Referunt de siliquis, quod maturæ in arboribus adhuc pendentes a vento agitatæ & concussæ maximum edant strepitum, & naves iis onerari solent, ut sint stabiliores, sicque ad nos transferri. In India juniores immaturæ & virides cassiae uti in Europa virides & immaturæ nuces juglandes faccharo & aromatibus conditæ & ex floribus arboris cassiferæ conficitur conserva laxans.

#### §. IV.

*Analysis chemica pulpæ cassiae.*

Spiritus vini rectificatissimus æque ac aqua pulpam cassiae probe exsiccatam solvit usque ad quartæ partis remanentiam, ita tamen, ut aqua celerius & promptius eam aggrediat & solvat, quam spiritus vini. Uncia ejusmodi pulpæ dimidia dedit tres drachmas & grana quindecim extracti aquosi atque extracti spirituosi itidem tres drachmas & aliquot grana.

Eadem

Eadem pulpa facile in fermentationem abit & acescit, in primis, si humiditas & calor accedunt, & aqua plurimum diluta & per plures menses in dolio asservata salem essentiam tremori tartari plane similem deponit.

§. V.

Sal tremori tartari simile, quod pulpa cassiae deponit Partes constitutivae & indoles pulpae cassiae. §. IV, salia ejus demonstrat acida. Ejusdem sapor dulcis §. II. salia acida & partes sulphureas seu oleosas partes ejus esse constitutivas manifestat §. CCXXXII. Sect. IV. Part. I. & solutio ejus, quae in spiritu vini æque ac in aqua succedit, citius tamen & melius in aqua quam spiritu §. IV, indolem ejus saponaceam & gummosam patefacit §. CCLXXIV. CCLXXXV. Sect. IV. Part. I.

§. VI.

Coctio fortis & diurna virtutem pulpæ cassia laxantem imminuit, ut experientia docet. Cum vero sub coctione nihil pereat nisi substantia volatilis seu sal volatile, ut virtus pulpæ cassiae laxans a substantia salina volatili dependeat necesse est. Virtus laxans pulpæ cassiae dependet a substantia volatili.

§. VII.

Omnis fere medici pulpam cassiae benignum lene & Ulterius vir-  
innocuum medicamentum laxans, omni sexui, ætati & tem-  
peramento conveniens declarant, neque in partibus ejus pae cassiae  
constitutivis §. V, si attento considerantur animo, quicquam  
deprehenditur, quod malignam & drasticam ejus indolem  
manifestat. Resolvendo eam agere, docent saponacea in-  
doles §. V, salia acida & substantia salina volatilis §. V. VI.  
hujus capitinis & §. CCCCLXV. CCCXCIII. Sect. VI.  
Part. I, quoquaque vel modo seu respectu partes hæ considerentur. Eam stimulando agere patet ex salibus ejus acidis  
& substantia salina volatili §. VI. VII. hujus capitinis &  
§. CCCXXII. CCCXLIV. Sect. VI. Part. I, sed hanc vir-  
tutem admodum lenem atque exiguum esse ex partium  
gummosarum & sulphurearum commixtione §. V. intelligi-  
tur

tur §. CCCCXX. CCCCXXIII. Sect. VI. Part. I. interea tamen vi salium acidorum, §. IV. V, calorem moderatur & humorum resolutionem, quæ & quatenus a salibus alcalicis peragitur, imminuit, quæ vero & quatenus fit a salibus acidis, auger §. CCCCLXVIII. CCCCLXIX. Sect. VI. Part. I.

### §. VIII.

Virtutum  
pulpac caf-  
flae confide-  
ratio.

Vi virtutis resolventis, quam pulpa cassiae obtinet §. VIII, quantum res a priori tantum consideratur, diureticum exserere potest effectum §. CCCXLVIII. Sect. VI. Part. I.

& experientia eundem comprobat. Suminus vir BOERHAVE idem confirmat, referens cassiam ad diuretica in Tractatu suo de viribus medicamentorum edit. Parif. 1727. pag. 345. Quaræ classis, inquit ibidem, includit diuretica nonnulla specifica: qualia sunt aromaticæ quædam balsamica hoc est, sale subtili cum oleo involvente constantia, ut crocus, rhabarbarum, asparagus, cassia fistula, nux moschata recens, juniperus, terebinthina, balsama nativa omnia &c. Hæc enim assumta urinæ copiam adaugent, quin & hujus qualitatem omnes ut colorem odorem & saporem immutant; ita quippe crocus & rhabarbarum ipsi colorem flammeum inducunt, cassia in parva dosi sumta viridem ei dat colorem, in majori copia fuscum & in majori adhue atrum; sic etiam asparagus urinæ foetorem tribuit terebinthina vero violaceum ipsi conciliat odorem. Porro notant Auctores, cassiam insignem habere in recessu stimulum, ejus usum saepius copiosum urinæ profluviū ejusque ardorēm produxit atque in mictu cruento diabete & id genus urinæ vitiis vitandum esse suadent. Vide Hermanni Cynosur. Mat. Medic. & Fallopium.

### §. IX.

Scholion.

Cum dictis de rhabarbaro §. IX. convenient ea, quæ supra §. XXXI. Cap. I. de rhabarbari virtute demonstravi diuretica

### §. X.

§. X.

Quum pulpa cassiae virtutem possideat diureticam Virtus pul-  
& solventem, qua terreas præcipue aggreditur & pae cassiae  
solvit partes §. VIII. hujus capitinis & §. CCCCLXVIII  
CCCCLXIX. Sect. VI. Part. I, affectus calculos, præca-  
vere curare & lithontripticum exferere potest effectum  
§. CCCCLV. Sect. VI. Part. I. Hæc experientia mihi vi-  
dentur confirmari. Aegyptii enim pulpa cassiae cum saccha-  
ro candi & liquiritia tanquam arcano utuntur ad renum ve-  
sicæque vitia. Aegyptiorum vestigia secuti MONARDES  
& MATTHIOLUS pulpm cassiae infallibilem & egregiam  
medicinam calculos & vitia renum præcaventem declarant,  
si quotidie ad tres drachmas tribus horis ante prandium ad-  
hibeatur. MESUE quoque & FALLOPIUS renibus & ve-  
sicæ inter remedia purgantia nullum esse cassia convenien-  
tius contendunt. Non omnes quidem medici hac de re idem  
sentiunt, siquidem Pigræus & Fabricius Hildanus renibus  
infestam esse cassiam statuunt & Bellonius scribit in Epheme-  
ridibus, lithotomos Parisienses eam observasse illis inimicissi-  
mam, quibus calculus sectione fuit extractus, sed horum  
criminum culpa non pulpæ cassiae sed potius imprudenti &  
illegitimo ejus usui assignari potest. Diuretica enim & lithon-  
triptica, si tunc exhibentur, ubi partes urinæ secretioni atque  
excretioni inservientes angustatæ sunt & occlusæ, spasmo  
dolore vel inflammatione afflictæ vel alio modo graviter la-  
fæ, ingentes dolores & gravissima symptomata excitant.

§. XI.

Cum pulpa cassiae leniter purget & calorem potius mo- Usus pulpac  
deretur quam augeat §. VI. VII, utiliter in calore præter- cassiae.  
naturaliter aucto, febris acutis cum summo æstu conjun-  
ctis, biliosis, ardentibus, putridis, inflammatoriis, inflamma-  
tionibus, bilis excandescens & acrimonia, si purgatio re-  
quiritur, adhiberi potest. Omnia enim damna, quæ ab  
aliis purgantibus fortioribus profiscuntur, ab ea non sunt  
*Nicolai mat. med. P. II da.* L metu-

metuenda, & præterea summum aestum mitigat, quo corpus inflammatione presente ardet. Sic in pleuritide, peripneumonia ceterisque affectibus inflammatoriis, quando catharsis est necessaria, salutarem exserit efficaciam. Vi salitum acidorum §. V, quæ putredini resistunt, putredinem impedit, &, cum non laxante solum sed resolvente etiam virtute fit prædicta §. VII, pituitam tenacem viscidam peritus obsidentem resolvit atque ad excretionem aptiorem reddit, per inferiora evacuat & humorum serosorum & mucosorum congestionem versus pulmones minuit, quam ob rem in pectoris affectibus, ut catarrho, tussi & asthmate, quoque conducit. Idem ex dulci ejus qualitate §. I. II. patet, cum noto notius sit, dulcia virtute pectorali esse prædicta pectorique conducere.

### §. XII.

**Incommoda pulpa cassiae.** Cum pulpa cassiae facile in fermentationem abeat & acescat, in primis, si in loco asservatur humido & calido §. II, mirandum non est, idem contingere in primis viis, in quibus calor & humiditas adsunt, si ad eas accedat pulpa cassiae. Verum enim vero fermentatio in ventriculo & intestinis contingens liberat aerem ex contentis in intestinalium & ventriculi cavitate, ejus copiam atque elasticitatem auget adeoque fatus, &, quæ ab his producuntur, mala, ut spasmus & dolores, gignit. Qua de re pulpa cassiae fatus tormina & spasmus excitare potest & hæc quoque incommoda ei exprobrantur a medicis usum ejus expertis. Longe facilius autem & magis has causatur molestias, si immatura, vetusta, acida vel fermentatione corrupta est, vel, si vel maxime bona sit, subjectis, quæ ventriculi & intestinalium debilitati flatulentiae doloribus & spasmis obnoxia sunt, exhibetur, sed omnia hæc ejus incommoda facile averti atque præcaveri possunt, si optima, recens & bene matura, in sufficienti quantitate, cum stomachicis & carminativis ut semine foeniculi & anisi, aliisque, quæ ejus virtutem augment, conjuncta, & in hominibus, quorum ventriculus & intestina suffici-

sufficienti tono prædicta sunt, nullis flatibus spasmis & doloribus intestinorum & ventriculi vexantur, usurpatum. Ex his patet simul ratio, cur in ventriculi atque intestinorum atonia & debilitate, flatulentia, ventriculi atque intestinorum doloribus & spasmodicis contractionibus, malo hypochondriaco & hysterico mintis conducat & a medicis noxia prædicetur. Porro hujus accusatur vitii, quod lentæ, tardæ & segnis, seu, ut ajunt, testudinæ sit operationis, verum etiam id per aliorum purgantium fortiorum additamentum facile corrigi potest.

§. XIII.

Pulpa cassiae, quoniam dulci gaudet sapore, palato gra- Modus ex-  
ta est & major ei conciliari potest gratia & virtus, si cum libendi pul-  
tamarindis & cremore tartari exhibetur addendo vel omittam cassiae.  
tendo mannam. Præscribitur ad uncias duas & ultra sola,  
minori vero in quantitate cum aliis purgantibus sub forma in-  
fusi sequenti modo:

Recipe pulpæ cassiae unciam unam & dimidiam  
tamarindorum unciam dimidiam  
cremoris tartari drachmas duas  
solvantur in  
aquæ communis bullientis unciis quinque  
cola & adde  
ess. cort. aurant. immatur. drachmam dimidiam  
S. Potio exhibenda horarum intervallo.

Recipe pulpæ cassiae  
mannæ electæ ana unciam unam  
folior. sennæ fine stipitibus  
cremoris tartari ana drachmam unam  
solvantur in  
aquæ communis bullientis unciis quatuor  
Fiat colatura, quæ post additionem olei de cedro  
guttarum octo cum faccharo subactarum diversis  
viciis est haurienda. Pulpa cassiae quoque in sero  
L 2 lactis

lactis vel sola vel cum tamarindis soluta propinari potest. Pro circumstantiarum ratione addi quoque potest rhabarbarum.

#### §. XIV.

Praeparata  
ex pulpa  
cassiæ.

Prostat in officinis pulpa cassiæ vel simplex, quæ etiam simpliciter pulpa seu medulla cassiæ, flos cassiæ, cassia extracta simplex, cassiæ atramentum, cassia cibrata, si per setaceum trajecta fuerit, nominatur, vel composita, quæ iterum, prout additamentum est saccharum, mel vel aliud quid, varia nanciscitur nomina & dicitur cassia extracta cum saccharo seu pulpa cassiæ cum saccharo, cum melle &c. Cum pulpa cassiæ melius conservetur in ejus loculamentis contenta quam extracta, multi suadent, ut pulpa extracta si indigeamus, eam ex tempore ex siliquis extrahi jubeamus. Multis in officinis pulpa cassiæ cum aqua decoquitur & hoc decoctum ad extracti mollieris consistentiam inspissatur addito saccharo melioris conservationis causa. Porro prostat in officinis cassia pro clysteribus, quæ ad unciam unam vel alteram ad illos adhibetur. Ingreditur præterea pulpa cassiæ electuarium diacassia cum manna, diacatholicon, lenitivum Florenzolæ, lenitivum de manna Nicolai, diaprunis lenitivum seu diadamascenion Nicolai, Trypheram perficam Mefues, confectionem Hamech, electuarium de psyllio Montagnanae, Zwelfferi cassiam solutivam primam & secundam, ejusdem diacassiam cum manna compositam & diacassiam refrigerantem & anodynam & id genus alia composita medicamenta, sed omnia hæc usu exciderunt.

#### §. XV.

De cassiarum  
differentia.

Alia quoque species cassiæ fistularis in officinis non nullis deprehenditur, quæ cassia Brasiliana dicitur, eamque longe crassiorem, sed breviorem, nonnihil compressam, durissimam, ut malleo frangi debaat, pulpam autem amaram priorique fortiorem existere & ad unciam unam afflum-

assumtam plus purgare quam vulgarem uncias duas, se expertum esse in Lusitania tradit TOURNEFORTIUS. LOBELIUS quoque asserit, hujus pulpa unciam unam plus purgare quam uncias duas alterius cassiae Aegyptiacae: quod etiam C. BAUHINUS in Pinace confirmat. Arbor, hanc gerens siliquam, dicitur Cassia fistula Brasiliana C. B. P. 403. Tapyracoaynana Brasiliensisibus Pison. & Marcgrav. Cassia fistula Brasiliana flore incarnato Breyn. Centur. prim. cap. 21. Descriptionem ejus dedit illustris Geoffroy in Traetatu de Materia Medica Tom. II. pag. 353. Denique notandum est, quod fructus cassiae tam occidentales quam orientales ratione magnitudinis, longitudinis, crassitie & figurae rectilineae & curvilineae admodum differant.

## CAPVT XI.

DE

## T A M A R I N D I S.

### §. I.

Tamarindi, quales in nostris deprehenduntur officinis, Tamarindi sunt arboris exoticæ, quæ Tamarindus dicitur, inter officinales fructuum siliquosorum pulpa nigricans, saporis acidi, quid sunt. multis pelliculis nervis filamentis corticibus & nucleis permixta,

### §. II.

Ad usum medicum eligenda est pulpa tamarindorum Selectus pul-  
recens, pinguis seu lenta, ex rufo nigricans, acida, non pae tamarin-  
exsucca, non pomorum carne adulterata. Mundanda est a dorum ad  
membranis filamentis & seminibus & per cibrum trajicien- usum medi-  
da, antequam in usum adhibeatur. cum.

### §. III.

Fructus arboris Tamarindi appellantur dactyli Indi, ace- Arbor tama-  
tosi, acidi, palmulæ acidæ, palmulæ nigrae sed perperam, cum rindus ejus-  
L 3 & fru- que fructus,

& fructus & arbor a dactylis & a palma arbore longe discrepent. Arbor dicitur Tamarindus Raji histor. 1748, siliqua Arabicæ, quæ Tamarindus C. B. Pin. 403, Tamarindus Derele side appellata Prosp. Alpin. de plant. Aegypt. 351 Iutay sine Tamarindus Pison. 157. Tamarindus Marcgr. 1071, Balam-pulli sine Maderam-pulli Hort. Malab. T. I. Arboris descriptionem a nemine hactenus solide traditam ~~ad hanc~~ communicavit TOURNEFORTIUS in Monumentis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis an. 1699: Cum anno 1689. denuo in Hispaniam profectus essem, inquit, arborem tamarindum non sine jucunditate vidi Granatæ in uno hortorum celeberrimi palatii Alhambra a Mauris omnibus iis, quæcunque modo usui & deliciis vitæ inservire possunt, affatim exornati atque instructi. Afferunt Autores plurimi, fructus hujus arboris per totam Africam & in Indiis Orientalibus a peregrinantibus secum vehi ad sitim in maximo solis æstu extinguidam, saccharo etiam condiri, ut palato gratiores evadant longiusque ætatem ferant. Radix in multos dividitur ramos admodum late excurrentes multaque coma stipatos & cortice subrufo adstringente & aliquantum amaro tectos. Truncus ejus pulcre in altum porrectus est tantæque crassitie, ut vix amplexu duorum hominum includi possit. Cortex ejus densissimus fuscus & fissuris refertus, lignum durum colore fere spadiceo. Rami ejus undique regulariter satis extenduntur & dividuntur in ramusculos alternatim positos, quos cuticula tenuis ex viridi fusca circumdat & folia plurima densa & alternatim posita ornant. Vnumquodque folium constat ex novem, decem vel quindecim paribus foliorum parvorum inhærentibus pediculis quatuor vel quinque digitos longis, quorum extremitatibns constanter duo inhærent folia, quanquam unicum tantum exhibeant figuræ Prosp. Alpini & Horti Malabarici. Longitudo eorum octo vel novem lineas habet, latitudo tres vel quatuor, apices sunt obtusi, reflexi & multo rotundiores basi. Folia sunt tenera acidula instar turionum vitis, jucundo adspectu, splendentia, læte virentia, inferna parte & circa marginem leviter hirsuta, excursus.

excurrente secundum eorum longitudinem exigua vena, cuius ramuli sunt tenerrimi: de die separatim propendent ad morem acaciae nostratis, noctu vero sibi invicem applicantur & contrahuntur. Flores in alis & extremitate ramorum noveni vel deni conjunctim nascuntur dispositique sunt per fasciculos semipedem circiter longos, odore fere carent & singuli pediculo quatuor vel quinque lineas longo appendent, tripetali, colore roseo & striis sanguineis distincti. Pistillus e medio petalorum florum exsurgit & abit in fructum primo viridem, sed, ubi perfecte maturuit, subrufum, magnitudine & forma fabis vulgaribus similem, gemina filixa vel cortice distinctum, externo carnosum, &, si viridis est, lineam unam crasso, interno vero teneriori & tenuiori. Spatum intermedium pulpa tres vel quatuor digitos lata, nigricante, molli, acida & austera est repletum. Cum capillamentis plurimis seu fibris in longum a pediculo ad apicem fructus productis interior cortex semina includit. Nascitur hæc arbor in Africa, præcipue in Aethiopia eaque Africæ regione, quæ Senega vocatur utrisque Indiis, Aegypto, Arabia, insula Madagascar & Ceilon. Fructus maturos incolæ colligunt inque sole paulum siccari curant, antequam in alia loca istos transmittant. Sibi instrati fracidi fiunt nec in integris filiisque ad nos pervenient sed conquassati, contusi, in dolia coacti cum caulibus nucleis ac pulpa. Dolorum generum tamarindos accipimus, primo subfuscos, multis caulibus parvisque nucleis mixtos, deinde prorsus nigros paucos caules sed multos nucleos continentes, qui posteriores prioribus multo sunt acidiores, ut Marxius in Mat. Mus. observavit. In Senega æthiopes istos in placentas redigunt caulibus nucleisque antea exemptis, qui vero ad nos non afferuntur. Ex omnibus ii censentur optimi, qui prorsus nigri, nucleis parvisque ac longis filamentis pertexti & pellicidi sunt, pauxillo deroaso quasi subpingues apparent, vetustate non sunt corrupti, acido & grato fapore gaudent, nec nimis humidi nec nimis diu in cellis vel aliis locis humidis affervati fuerunt, id quod partim ex odore partim ex inflati-

inflatione nucleotum cognoscitur. Multo minus probandi sunt syrupo melle vel acero adulterati, quem dolum detexit Pometus in Historie des drogues pag. 220.

## §. IV.

Analyſis che-  
mica & par-  
tes constitu-  
tivæ tamari-  
dorūm.

Sæpius in ramis arboris Tamarindi deprehenditur substantia quædam salina acida, quæ cremori tartari maxime similis est. Ex acido tamarindorum sapore §. I. patet, salia acida ipsis inesse §. CCXXVIII. Sect. IV. Part. I. Idem confirmat analyſis chemica. Ex libris sex tamarindorum in aquæ communis libris octo solutorum, scribit sæpius laudatus GEOFFROY, post duos menses sex drachmæ salis essentialis acidi, quod a cremore tartari plane non differt, ad latera doliorum adhæserunt multoque major quantitas post plurimum mensium intervallum. Post digestionem aliquot di- erum ex tamarindis spiritus aceto destillato vini similis extra hī potest. Quando post aliquam fermentationē vel tem- porariam duntaxat ac simplicem in aqua macerationem de- stillationi subjiciuntur, in casu priori spiritum inflammabi- lem, in posteriori vero liquorem acidum aceto vini similem transmittunt. Pulpa tamarindorum tota solvitur in aqua adeo- que est gummosa seu mucilaginosa §. CCLXXII. Sect. IV. Part. I. & constat ex aqueis oleosis terreis & salinis acidis partibus §. CXCVIL Sect. III. Part. I. Hoc etiam ex eo pa- tet, quoniam tamarindi in fermentationem abeunt adeoque mixtum sunt fermentabile, quod ex aqua oleo terra aqua & acido constat. Acidum vero in iis prædominari, docet sa- por eorum manifeste acidus §. I. & adductæ observationes. Coctioni forti & dinturna virtus eorum laxans debilitatur, quod luculentum præbet testimonium, eam a substantia sali- na volatili pendere.

## §. V.

Virtutes ta.  
marindoruī.

Tamarindos vi purgante esse præditos Arabes uno fa-  
tentur ore & cum his recentiores consentiunt. Experien-  
tia

tia optima rerum magistra testimonio suo hanc quoque comprobat virtutem eamque admodum lenem benignam & mitem esse demonstrat. Conveniunt cum pulpa cassiae, si ab hoc discesseris, quod major acidi copia in iis quam cassiae Pulpa prædominetur. Quæ igitur de pulpa cassiae ratione salium acidorum & reliquarum partium, quas cum ea communes habent, demonstravi §. VI. VII. Cap. X, de his quoque valent, quapropter acrimoniam humorum alcalinam & biliosam temperare & corrigere, bilis & sanguinis æstum fervorem & calorem nimium moderari & sedare, refrigerare, humorum resolutionem, quæ & quatenus sit a salibus alcalicis, impedire, fluidorum putredini resistere, in inflammationibus, febribus ardentibus, biliosis, inflammatoriis acutis, putridis, scorbuto calido, in quo salia prædominantur alcalica, ictero & diabete, post iracundiam prægressam, in bilis copia & acrimonia salutarem exferere debent effectum si legitime usurpantur. In ictero acrimonia biliosa humores depravati sunt & in diabete fluida nimis resolvuntur & funduntur, unde patet ratio, cur in his quoqne malis prosint, & si longus esse vellem, eorum utilitatem in reliquis etiam adductis malis eadem possem demonstrare ratione, sed eam cuivis exploratam esse & cognitam arbitror, qui animo secum perpendit, in omnibus his affectibus prædominari acrimoniam alcalinam seu biliosam, quod facile ex principiis potest demonstrari pathologicis. Ex his simul clarum est et perspicuum, cur in febribus ardentibus, putridis, scorbuto calido, diabete atque ictero specificē commendentur a medicis. In ictero simplex medicamentum ex tamarindis & cassia cum saccharo ab Indis exhibetur. Quum, uti jam dictum est, humorum orgasmum atque exæstuationem compescant, in affectibus, qui cum humorum rarefactione atque orgasmo conjuncti sunt, ut haemoragiis, phlogosi, utiliter quoque adhiberi possunt. Virtus, qua gaudent, refrigerans & sitim sedans in causa est, quam ob rem Arabes non immaturas solum siliquas decerptas saccharo condiant secumque profectu- ri sumant, quibus & sitim restinguant & ascorbuto se defendant

Nicolai mat. med. P.IIda.

M

teste

teste Wormio in Mus. pag. 215, sed Javani etiam valde gratum limonatum exinde conficiant Zythi loco usurpadum, cuius compositionem Bontius in Histor. Ind. Or. Libr. VI. cap. IV. & Vielheurius in Descript. Exot. Mat. pag. 162. communicant.

### §. VI.

Incommoda  
tamarindo-  
rum quomo-  
do praece-  
venda sint.

Tamarindi idem habent incommodum, cujus accusatur cassia, scilicet, quod facile in ventriculo atque intestinis in fermentationem abeant & flatibus spasmis & torminibus molesti sint, praesertim subjectis, qui his affliguntur malis, sed hoc vitium prudenti & cauto usu facile corrigi potest, si vel non adhibentur in ejusmodi subjectis vel cum carminatibus, ut semine foeniculi, anisi, essentia corticum aurantium, carminativa Wedelii vel id genus aliis praebentur. Porro hoc etiam multis in tamarindis reprehensione dignum videtur, quod purgandi officium justo lenius & segniter absolvant, sed melius esse duco, leniter & sensim alvum moveri quam nimia & periculorum plena dejectione corpus labefactari, ne dicam, quod haec operationis tarditas additamento fortiorum purgantium facile tolli atque emendari possit.

### §. VII.

Modus exhibendi tama-  
rindos,

Tamarindorum pulpa exhibitur a nucleis membranis & filamentis purgata & per setaceum trajecta ad uncias duas vel tres ita:

Recipe pulpæ tamarindorum uncias duas  
folve in  
seri lactis libra una  
cola & colaturæ adde  
olei de cedro cum sacchari subacti scrupu-  
lum dimidium.

Fiat potio repetitis vicibus propinanda.

Recipe pulpæ tamarindorum uniam unam  
mannæ electæ unciam dimidiad

folior.

folior. sennæ sine stip. drachmas duas  
solvantur in  
aqueæ communis unciis quatuor  
cola & colaturæ adde  
essentiæ cinnamoni drachmam dimidiam  
Fiat potio horarum intervallo haurienda.

Addi quoque possunt commode & salutariter salina acida &  
media ut tartarus tartarisatus, tremor tartari, sal Sedlicen-  
se, nec non rhabarbarum.

Recipe pulpæ tamarindorum uncias duas  
solve in  
vini Mosellani unciis quinque  
Cola & colatura detur repetitis vicibus.

Saccharo condita pulpa tamarindorum exhibetur quoque  
ad unciam unam vel alteram sub forma electuarii vel boli  
cum aliis convenientibus purgantibus mixta & ad unciam  
unam cum pulveris rhabarbari drachma una maxime com-  
mendatur adversus ructus nidorosus putridos, cujus  
effectus ratio ex §. V. patet. A quibusdam magnis  
quoque laudibus adversus verninosos infantum & puer-  
rum affectus extollitur & Aegyptii, referente Prosp. Alpi-  
no, foliis tamarindi utuntur ad puerorum vermes necan-  
dos, sed vim anthelminticam, qua gaudet tamarindorum  
pulpa, cum aliis purgantibus habet communem neque præ-  
iis singularem. Adhibetur quoque, quamvis raro, ad un-  
ciam unam vel alteram in clystere laxante temperante.

### §. VIII.

Cum in pulpa tamarindorum prædominentur salia acida De virtute  
§. V. VI, acida vero roborent §. CCCCLXX. Sect. VI. Part. I. tamarindo-  
pulpa tamarindorum virtute roborente & leniter adstringen- rum robo-  
te debet esse instructa, & hinc patet simul ratio, cur eam rante & pur-  
multi quoque ei attribuant. Præterea eam vim acriorum & gantia drafi-  
vehementiorum purgantium vegetabilium, qualia sunt scam- ca corrigen-  
moni- te,

monium, tithyinalorum species, laureola, drasticam infringere & corigere asserunt.

## §. IX.

Quænam in-  
grediantur  
tamarindis.

Ingrediuntur tamarindi electuarium catholicum, leni-  
tivum, diaprun. de psyllio, confectionem Hamech & alia.

CAPVT XII.  
DE  
S E N N A.

## §. I.

De plantæ  
sennæ spe-  
ciebus variis.

**N**on leve circa specierum plantæ Sennæ, quæ etiam Sena vocatur, numerum constituendum inter rei herbariæ scriptores versatur discrimen: alii enim plures alii pauciores recensent. TOURNEFORTIUS tres tantum recenset species 1) Sennam Alexandrinam seu foliis acutis 2) Sennam Italicam sive foliis obtusis & 3) Sennam Americanam ligustri folio. Celeberrimus BOERHAVE in Ind. II. plantarum horti Acad. Lugd. Batav. p. m. 57. earum septem enumerat 1) Sennam Italicam foliis obtusis 2) sennam Alexandrinam sive foliis acutis, 3) sennam orientalem fructicosam sophera dictam 4) sennam occidentalem odore opii viroso, orobi Pannonicæ foliis mucronatis, glabram 5) sennam occidentalem odore opii virofissimo foliis eboli hirsutis 6) sennam occidentalem, foliis eboli acutis, glabris, odore minus viroso, 7) sennam occidentalem odore opii minus viroso foliis glabris obtusis majoribus. Si hujus plantæ discrimen a solo desumitur natali, in quo nascitur, vel ORIENTALIS est vel OCCIDENTALIS. PRIOR, ORIENTALIS iterum respectu patriæ dividi potest in SENNAM AEGYPTIACAM ALEXANDRINAM, TRIPOLITANAM, MECHINENSEM sive DE MECCHA, & SENNAM SEYDENENSEM SIDONIAM DE SAETTO sive de SEYDA, SYRAM PERSICAM & ARABICAM &c. Senna quoque orientalis est, quæ longiuscula.

gruscula, arcta, subacuta & crassiuscula habet folia, colore viridi flavedine interstincto, Gallis SENNE DE PALTE, h. e. SENNA DE PALTA vocata, quoniam non sine magno vectigali, quod Turcae Palta vocant, Sultano solvendo affertur, id quod eam quoque caram raramque reddit: nisi forte ab Insula Ripalta, Alexandriæ vicina, ita dicitur, id quod fere conjicit Guido Patin. Ep. select. p. 243. A POMETO a SENNA DE SAYDA non distinguitur sed utraque una eademque habetur. SENNA OCCIDENTALIS est vel ITALICA, qui in agro Florentino, Apuliae Liguriæ & Hetruriæ tractu nascitur vel GALLICA, quæ in Gallia potissimum Narbonensi provenit. Senna Orientalis tenues rotundosque habet caules ut melilotus pedem & dimidium altos, oblongis, angustis acutisque ac viridiusculis foliis utrinque ad modum liquiritiae arboris stipatos, qui flavescentes pentapetalos rosaceos flores rubicundis venulis interstictos & post illos depresso non ut colutea vesicaria inflatos folliculos proferunt, in quibus subfusca ac cæsia semina includuntur. Senna Italica priori fere similis est, nisi quod breviora, latiora, in extremo apice minus acuminata rotundiora & obtusiori acumine prædicta folia nigra semina habeat ac viribus priori sit inferior. Senna Alexandrina habetur optima, cui Mechanensis natura & virtute simillima est, vilior est Senna de Saetto & vilissima denique Occidentalis tam Italica Florentina quam Gallica Narbonensis, quæ a multis pro quadam coluteæ, quæ in Italia & Gallia copiose crescit, quam sennæ veræ specie habetur consentiente POMETO in HISTOIRE DES DROGUES pag. 147.

## §. II.

Quæ de senna in sequentibus dicam, de Alexandrina Foliorum sunt intelligenda. Hæc enim & præfertim ejus folia præ aliis partibus potiora civitatis pharmaceuticæ jura in officinis nostris sunt adepta & quaeritur, quænam optima sint & præ aliis eligenda. Nonnulli magna lata & vere viridia folia habent optima, sed prædictus POMETUS hos maximo

M 3

in

fennae Ale-  
xandrinæ se-  
lectus ad  
utrum.

in errore versari ostendit, contestans, integrum sibi fruticulum veræ orientalis sennæ ex Aleppo esse transmissum, ex quo apparuit, folia esse mediocria, subacuminata, ad modum cuspidis hastæ oblongæ militaris formata, subflava, fortiter olentia, tactuque mollia. Eligenda sunt ad usum medicum folia sennæ Alexandrinæ oblonga moderate acuminata, odore forti haud ingrato quodammodo aromatico & sapore amaro subacri & nauseoso prædita, viridia & ex viridi flavescentia, probe exsiccata, tactu mollia, non maculis hinc inde conspicuis foeda, non teredine corrosa, non contrita, integra, a stipitibus quisquiliisque repurgata & extremitate acuminata tanquam sennæ Alexandrinæ signo distingue. Recentia, præsertim contrita, forti odore nares feriunt, qui vero exsiccatione perit, unde exsiccata nullo singulari manifesto gaudent odore. Folia colureæ vesicariae plerumque intermixta habent, quæ vero probe sunt separanda, atque ex Oriente veniunt, propterea quoque a quibusdam medicis **FOLIA ORIENTALIA** nominantur. Ab illis folia sennæ Italicae maxime differunt, dum non breviora solum & latiora sed rotundiora etiam & obtusiori acumine prædita deprehenduntur. Ad usum medicum illa his longe præstant atque jure meritoque anteponuntur.

### §. III.

Descriptio  
plantæ sen-  
nae Alexan-  
drinae.

Planta dicitur Senna Alexandrina sive foliis acutis C. B. Pin. 397. Sena I. B. Sena orientalis Tabern. Icon. 517. Frutescens est, duos cubitos æquans, caulis lignosis, in ramos lentos abeuntibus, ex quibus alternatim exeunt pediculi tenues, palmo longiores, ad quos ex mediocribus intervallis adnexæ sunt foliorum quatuor quinque aut sex conjugationes, nullo impari alam claudente folio. Singularia folia ex viridi in flavum declinant proximeque costæ adhærescunt glycyrrhizæ foliis similia sed acutiora, pollice breviora, tres lineas lata, saporis glutinoï amaricantis non sine nausea aliqua. Flores longa serie summis ramulis innascun-

nascuntur rosacei lutei & pallescentes, ex quinque petalis in cavitatem aliquam reflexis constantes, venis purpureis distincti & calyce pentaphyllo suffulti. Horum medium occupant stamina decem & germen incurvum, quod deinde mutatur in siliquam valde compressam, ut plurimum incurvatum, ex duabus membranis compositam, quas inter semina nidulantur vinaceorum acinis fere similia, depressa, pallide virentia, duas circiter lineas longa, altera parte acuta, altera vero obtusa, una serie disposita, tenuibus veluti disseptimentis inter se distincta. Seritur in Persia Syria & Arabia, unde in Aegyptum & Alexandriam deportatur.

## §. IV.

Considerata, quantum scopus requirit meus, naturali foliorum sennae historia selectuqe declarato mixtionem quoque ejus & compositionem primo externorum sensuum beneficio, deinde chemiae ope perscrutari ordini congruum esse arbitror. Odorem spirant folia sennae Alexandrinæ haud ingratum quodammodo aromaticum §. II, quod phænomenon falsis cuiusdem volatilis in iis præsentiam demonstrat §. CCXLII. Sect. IV. Part. I. Gustus adminiculo examinata viscosum primo deinde nonnihil acrem & nauseosum saporem linguæ imprimit §. II, quod itidem salia mixtionem ejus ingredi demonstrat §. CCXXIV. CCXXXVIII. Sect. IV. Part. I. Coctioni forti & diuturnæ si submittuntur, virtute purgante privantur, quod documento luculento inservit, virtutem ejus purgantem a principio salino volatili, quod coctione abigi potest, dependere. Non hic longus ero in examinando, utrum hæ partes sint foliorum sennae partes constitutivæ proximæ an remotæ, hoc mihi perinde erit, sufficiat mihi virtutes eorum determinaturo has ipsis inesse, quæcunque sint. Ad analysin eorum chemicam accedenti mihi liceat ea adscribere, quæ de hac tradit Excellentissimus Cartheusserus in Fundamentis Materiæ Medicæ Parte I. Sect. X. Cap. VIII. Triplici, inquit, principio activo hæc folia

folia donata sunt, nimirum gummoso, resinoso & oleoso. Principium gummosum reliqua quantitate longe superat & in uncia una ad binas circiter drachmas ascendit: resinosum integrum propemodum drachmam pendet & oleum essentiale, cuius pondus ob separationis difficultatem exæte determinari nequit, exigua saltim quantitate mixtione inhæret. Oleum hoc partim crassius unguinosum partim subtilius æthereum est. Folia enim a stipitibus repurgata & post aliquam macerationem lenemque cum aqua digestionem e cucurbita destillata aquam transmittunt odoris & saporis nauseosi; liquidum ex viridi-brunnum autem in cucurbita relictum ac percolatum sub evaporatione in vase aperto aliquamdiu protracta non tantum spumidam ac pingue material ad superficiem extrudit sed hinc inde pariter ejusdem naturæ cuticulam format, quæ adspectu & contactu pinguis resinoso-oleosa est, &, coquleari ablata, aquæ consorium respuit eandemque tentata scilicet per agitationem miscela nonnihil turbidam reddit. Ex uncia una foliorum septem circiter grana hujus materiae obtinui. Sub infusi spirituosi evaporatione oleosa hæc materia adhuc melius in conspectum venit. Quando istud enim distillationi in cucurbita subjicitur, spiritum dimittit colore pallide viridi ac flavescente tinctum & debili atque specifico odore & sapore imbutum: extracto liquido autem in cucurbita relicto guttulae nonnullæ oleosæ innatant. Hactenus Cartheuerus. Per aquam simplicem leni calore digerendo facta foliorum dissolutio liquorem exhibet primo viridescentem, qui deinceps e flavo in fuscum transit. Cum spiritu vini infusa sennæ folia & lætum satis & constantem viorem ipsi impertiuntur; minus talem folliculi. Separato iterum spiritu destillando a tincturis illis residuum in cucurbita extractum viridescens valde sapidum acrem & amarum quin & nativum odorem foliorum sennæ exhibet. Illustris Geoffroy scribit Tom. II. Tract. de Mat. Med. Sect. I. artic. IV, quod tinctura foliorum sennæ aqua communi parata intense colorata deprehendatur & quod ex iis ope aquæ extractum

tractum educatur, quod acrimonia fortis pollet atque exsciatum facile accenditur.

## §. V.

Substantia salina volatilis, qua folia sennæ prædicta sunt Virtus folio-  
§. IV. stimulat & resolvit §. CCCCLXIV. Sect. VI. Part. I. rami sennæ  
resinosa eorum pars §. IV. stimulat quoque, resolvit & cale- purgans.  
facit §. CCCCCXCVII. Sect. VI. Part. I. & vivisciditatis suæ  
adhærendo intestinis eorum vasa obstruere potest, id quod  
parti etiam gummosæ proprium est, oleosa denique eorum  
pars unguinosa §. IV. adhærendo intestinis eorum vasa ob-  
struere potest §. XXVII. XXVIII. Cap. I. ætherea vero stimulat resolvit & calefacit §. CCCCLXXX. Sect. Part. I  
Quæcunque vero agunt stimulando & resolvendo atque in-  
testinorum ductus & vasa obstruere possunt, illa purgatio-  
nem excitare possunt §. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.  
Cap. I. Omnes ergo foliorum sennæ partes, quatenus res  
consideratur tantum a priori, ejus indolis esse atque virtutis,  
ut purgationem producere possint, clarum est & manife-  
stum, actu vero foliis sennæ hanc purgandi facultatem com-  
petere experientia demonstrat. Eam in dicta §. IV. sub-  
stantia oleosa ætherea maxime latere & hinc aquosi eti-  
am foliorum decocti odorem nauseam, immo apud sensibili-  
ora subjecta ipsum vomendi conatum excitare & diurni-  
ori ebullitione vires sennæ catharticas maximam partem im-  
minui, solam partem gummosam magis urinam quam feces  
alvinas movere, resinosa vero solam intestinorum tunicis  
tenacius adhærescere adeoque sine singulari solutione alvina  
multa ventris tormenta producere contendunt plurimi medici  
chemici. Medici quoque tam antiquiores quam recentiores foli-  
is sennæ unanimi consensu adscribunt virtutem purgantem, &  
liceat mihi instar omnium W E D E L I tantum in Amoenitatibus  
Materiæ Medicæ sennæ elogium adducere sequens: Purgat uni-  
versaliter & tarde quidem sed efficaciter humores omnigenos,  
præcipue tamen, juxta communem hypothesin, idque non  
inepte, melancholicos, adustos & pituitosos idque sine ulla.

Nicolai mat. med. P. II da.

N

excessi-

excessiva qualitate noxia. Prodest quin immo universalis usū in morbis quibusvis posita indicatione laxandi: interpres est quasi generalis omnium purgantium & omnium morborum, adde & individuorum, sicubi purgatio fuerit necessaria, purgantium quidem, quatenus sēpe ipsis fortioribus operatur felicius: morborum vero itidem. Quicunque enim purgante indigent, si nullum admittant aliud, ubi quidem id indicatur & licet, sennam admittunt, acuti, chronici & medii. Individuorum denique omnium: siquidem cunctis est eadem, benigna scilicet & indemnis, semper juvans, nunquam nocens, si recte adhibetur. Hactenus Wedelius. Porro observatum est, sennam valde nocere iis morbis, in quibus humores aestuant & inflammations adsint, de quo ratio quærenda mihi videtur in virtute ejus stimulante & calefaciente.

### §. VI.

Vitia sennæ  
quomodo  
corrigenda.

Vitia, quorum senna accusari solet, sunt, quod *tormina* ventris & flatus excitet & purgandi officium justo tardius & segnius absolvat, sed omnia hæc vitia prudenti usu facile corrigi atque emendari possunt. *Tormina* tunc præfertim excitare solet, quando forti & diuturnæ coctioni submittitur, hinc ea vitari & infusio tantum institui potest ad præcavenda atque avertenda *tormina*, adde, quod *torminibus* ventris & flatibus facile mederi possimus additamento roborantium & carminativorum remedium ut semine feniculi, anisi, cinnamomo &c. Quod ad operationis tarditatem attinet, ea, quæ supra de tama indis dixi §. VI. Cap. XI, huc quoque quadrant. Præterea hoc quoque in senna reprehendunt, quod ejus infusum vel decoctum nauseosum atque ingratum exhibeat saporem atque multi eius usum hanc ob causam aversentur, verum enim vero hic molestus sennæ sapor facile destrui potest atque emendari additamento foliorum scrophulariæ aquaticaæ majoris Casp. Bauhini, ita, ut virtus sennæ integra atque immutabilis maneat. Hujus scrophulariæ & sennæ folia in æquali quantitate ad drachmas duas in aqua com-

communi eo gradu calida, ut eum manus commode perferre nequeat, macerantur, donec aqua sit refrigerata, sic obtinetur infusum omnis nauseosi atque ingrati saporis expertes omnesque sennæ virtutes possidens. Detexit hoc primus Dominus Marchand Regiæ scientiarum Academiae Parisiensis socius & plura hac de re qui desiderat, illa inveniet in Monumentis ejusdem Academiæ anno. 1701.

## §. VII.

Senna vel in substantia sub pulveris forma a scrupulo Modus exhibit uno usque ad drachmam unam, vel in infuso & decocto a bendi sennæ drachmis duabus usque ad sex vel unciam integrum solet nam adhiberi. Quia vero, si sub pulveris forma datur, in mole, quæ partim propter nimiam magnitudinem partim propter saporem valde ingratum nauseosa valdeque ingrata est & experientia teste ormina excitat, præterea etiam in decocto exhibita dolores causatur §. IV, melius & frequentius in infuso a drachmis duabus usque ad sex usurpari solet. Illud quoque tenendum est, ne senna infusione macerata fortius exprimatur sed potius leniter decantetur, ne torminosas excitet molestias, quas alias producere solet. In infuso tam aquoso quam vinoso propinari potest exempli gratia:

Recipe folior. sennæ sine stip.

mannæ ele&t. ana unciam dimidiā

crystall. tartari

anis. stellat. seu cardam. min. ana drachmam  
unam

macerentur. in

aquaæ bullientis unciis tribus

Fiat colatura, adde olei de cedro guttas octo cum  
faccharo subact. & per vices hauriatur

Recipe folior. sennæ sine stipibus unciam dimidiā  
rhabarbari ele&t  
agarici trochiscati ana drachmas duas

N 2

rad.

rad. pimpin. alb.

— Zedoariæ ana drachmam unam & dimidiā

herb. epithymi

summit. centaur. min. ana pugillos quatuor  
cardamom. min. drachmam dimidiā  
crēmoris tartari drachmas tres.

Concisa, contusa, mixta dentur ad chartam, signentur:  
Species infusi vinosi. Infuse hæ species cum dimidia aquæ  
bullientis mensura in vase probe clauso macerentur aliquam-  
diu, postea liquor transcoletur & affundatur speciebus reli-  
ctis denuo vini Rhenani mensura dimidia, digerantur itidem  
leni calore, dein vinum per colum trajiciatur & liquori pri-  
ori misceatur. De hoc infuso bibantur omni mane, vel, si  
fortior effectus desideratur, bis de die vacuo stomacho tres  
unciae, eodemque frequentissime usus fuit illustris b. m.  
**Hoffmannus** in *morbis* §. LXXII. Cap. II. indicatis.  
Piures formulas, quas folia sennæ ingrediuntur, vide  
§. XLIV. Cap. IV. de manna. Loco cremoris tartari adhibe-  
ri etiam posunt tartarus tartarisatus seu solubilis vel crystalli  
tartari. Infunditur quoque senna vel frigide vel calide, fri-  
gide, si tantummodo aqua frigida superfunditur addito pau-  
xillo cinnamomi & cardamomo item tartari tartarisati, qua  
ratione egregia extrahitur tinctura, calide vero, si aqua fer-  
vens superfunditur. Hodiernis temporibus folia sennæ in-  
star herbæ Thée sœpissime usurpantur. Medici sennæ vitia,  
quorum mentionem feci §. VI, tentant variis rebus corri-  
gere, quibus, si non plenarie tolluntur, saltem imminun-  
tur. Alii admiscent, quæ ventriculum atque intestina robo-  
rant, cuius generis sunt cinnamomum, cortices citri recentes,  
Zingiber aut spica nardi: alii, quæ leniter & blande  
alvum ducunt, qualia sunt jura pinguia, pruna, uvæ passæ,  
polypodium: nonnulli, quæ flatus discutiunt, ut femen  
fœniculi, anisi, cardamominum minus, coriandrum: quidam,  
quæ viscidos & glutinosos humores resolvunt & stimulant,  
quorsum pertinent salsia Zingiber & id genus alia. Mihi  
vero

vero ex his roborantia & carminativa & ex salibus crystalli tartari & tartarus tartarisatus videntur optima & correctioni sennae maxime apta atque idonea. Videantur dicta §. VI.  
Decoctum cum prunis vel passulis hoc modo paratur:

Recipe prunorum dulcium vel passularum uncias  
 duas vel tres coquantur in  
 aquæ & vini ana unciis quatuor  
 in decocto infunde  
 fol. senn. sine stip. drachmas tres  
 tremoris tartari, vel, quod melius est,  
 tartari solubilis drachmam dimidiam vel unam  
 digerantur per unam vel alteram horam,  
 cola & in colatura dissolve  
 mannae electæ unciam unam & dimidiam  
 Detur vicibus repetitis.

In Gallia frequenti in usu sunt sic dictæ ptisanæ laxativæ cum senna & additis interdum quibusdam aliis convenientibus remedii paratae. Celebratur ibidem in primis PTISANA REGIA, LA PTISANE ROYALE ex senna sale polychresto, crystallis tartari, tartaro solubili, pomo citreo aut alio subacido per noctem in aqua simplici vel destillata infusis & in sequente mane leviter decoctis, - exempli gratia:

Recipe folior. sennæ mundat. sine stip. unciam di-  
 midiam  
 sem. anisi  
 tremor. tartari vel  
 tartari solubilis ana drachmam dimidiari vel  
 integrum  
 infunde omnia in  
 aquæ fontanæ libra una, adde  
 limonem vel mala duo Renettica seu Bors-  
 dorffiana  
 in frusta majora dissecta

mane leni exponantur calori, filtretur liquor,  
 &, si placuerit, in eo dissolvatur  
 manna electa ad unciam unam vel duas.  
 Potio haec capiatur duabus vicibus una in-  
 terposita hora.  
 vel

Recipe fol. sennæ fine stip. drachmas duas  
 rhabarb. elect. drachmam unam  
 tartari solubilis scrupulos duos,  
 infunde in aquæ fontanæ calidæ libra una,  
 mane in sequente exponantur leni calori,  
 postea in colatura dissolvatur  
 manna electa ad unciam unam vel duas &  
 hauriatur.

### §. VIII.

Praeparata  
ex senna.

In officinis prostant e' senna

- I) Decoctum Laxativum Managettæ sive aqua laxativa Viennensis. Laudatur ad alvum laxandam, præsertim, si in liquoris hujus unciis aliquot solvatur manna, & postea, si necessarium est, clarificatio instituatur.
- II) Species pro decocto antifebrili. Tempore usus coquuntur in aquæ sufficienti quantitate per horæ quadram in vase probe clauso. De hoc decocto tempore febrilis intermissionis haustus aliquot unciarum trium vel quatuor assumuntur, ut plurimum autem ad potionis laxantes vehiculi loco adhibetur. Commodo in eo dissolvitur manna. Drachma specierum pro uncia una liquoris est sumenda. Porro senna fere omnes ingreditur nodulos laxantes. WEDELIO sequentes placuerunt.

### III) Species laxativæ:

Recipe rad. acetos.  
 scorzon.  
 cichorei ana drachmam unam

sum-

fummit. fumariæ

centaur. min. ana manipulum dimidium  
flor. quatuor cordialium ana pugillum unum  
fol. sennae fine stip. unciam dimidiā  
rhabarb. elect. drachmam unam & dimidiā  
cost. ver. scrupulum unum  
cremoris tartari scrupulos quatuor

Misceantur pro nodulo.

IV) Species pro decocto aperitivo majori. Laudatur decoctum exinde factum ad quascunque obstructiones in abdomen, usurpatum autem frequentius ad medicamenta laxantia & purgantia in eo dissolvenda. Per se hauritur ad aliquot uncias.

V) Species pro decocto aperitivo minori sive pro decocto lenitivo. Ad eosdem, ad quos præcedentes, conducent usus.

VI) Passulæ laxativæ sive purgantes cum & fine brodio. Alum ob sennam purgant. Dantur ad unciam dimidiā vel integrā.

VII) Syrupus fragrans laxativus Kufferi. Scopo laxandi adhibetur ab uncia una usque ad tres, a senna virtutem obtinens, ut &

VIII) Syrupus pomorum laxativus. Commendatur in affectibus hysterics & melancholicis, purgare, aperire & mensēs pellere dicitur. Datur ab uncia dimidia ad uncias duas.

IX) Extractum foliorum sennæ, quod præscribitur a drachma dimidia ad scrupulos duos. Vereor, ut quoad maximam partem sit iners, quum substantia salina, a qua vis purgans foliorum sennæ dependet, minimo decoctionis gradu dissipetur §. IV. V.

X) Electuarium diacatholicum & lenitivum Florenzolæ, quæ hodie vix vel plane non interne sed in clystere ad unciam unam vel integrā adhiberi solent quamvis raro.

Ab

Ab Excellentissimo Boeclero ejusque parente maxima cum utilitate & felici cum successu usurpatus fuit sequens pulvis stomachico-laxativus, quem folia sennae ingrediuntur:

Recipe succolad.

pulv. stomach. Birckm. ana drachmas sex  
 trag. aromat. unciam dimidiam  
 fol. senn. fine stip. drachmas sex  
 olei cinnamoni  
 caryophyll. ana guttas sex  
 ambrae gryseae  
 moschi ana granum unum

Misce, fiat pulvis. Pro sexu sequiori sine ambra & moscho potest præparari. Assumitur vel ante vel post pastum ad modum trageæ. Dosis est, quantum duobus cultri cuspidibus comprehendi potest.

§. IX.

De folliculis  
sennæ.

Pauca de folliculis seu filiis sennæ addere placet. Sunt autem folliculi sulcati, recurvi, semilunares compressi, ut superior membrana inferiori incumbat, continentes semina nigricantia & subviridescentia. Mesue, Aetuarius & Serapio ex veteribus; Fernelius, Lobelius, Pena ex recentioribus folliculos foliis sennæ præferunt, sed refragatur his Monardus, cui nunc assentiuntur medici fere omnes. Illustris Geoffroy asserit, quod folliculi intestina minus torqueant, longe debilius autem purgent, & alii plurimique majorem meliorem & tutiorem efficaciam attribuunt foliis quam folliculis, ad experientiam provocantes. Hodie folliculorum usus exolevit.

CAPVT

## CAPVT XIII.

DE

## CVCV-MERE ASININO

ET

## ELATERIO.

## §. I.

Cucumer seu Cucumis est vel sativus vel sylvestris. Hic Cucumis nominatur etiam cucumis agrestis, cucumis asininus, asininus quid fit. cucumis silvestris asininus. Planta est pomifera, flore monopetalo margine quinquepartito, fructu ovali hispido hirsuto. A congeneribus facile quivis discernere potest, qui consideraverit, quod fructus sit parvus, crebris spinulis horridus, & quando maturitatem consecutus, promte semina sua cum viroso succo ejaculetur, quam primum quis petiolum detraxerit. Radicem habet duas tresue uncias crassam, pedem longam, in varias fibras divisam, albam, carnosam, amaricantem & nauseosam, ex qua caules oriuntur humili fusi, asperiusculi, crassi, in quibus folia nascuntur ex rotundo acuminata, palmo longiora, ad basin aurita. Ex eorum aliis emergunt flores monopetali, campaniformes, patentes, semiunciam superantes, in quinque partes profunde divisi, flavescentes, cum venis virescentibus. Fructus sesquiunciam vel duas uncias longi sunt, cylindriformes, spinulis horridi & hirsuti, divisi in tria loculamenta tenuibus septis distincta, succi amari & pulpa plena: qui maturi levissimo attactu virosum succum cum lubrico semine violenter ejaculantur. Semina lata sunt, laevia & nigricantia. Apud nos in hortis tantum colitur, &, ubi semel fructus tulit maturos, vix unquam extirpatur. In calidioribus regionibus, ut Italia Galliaeque provinciis australibus per omnia moenia, simeta areas rudera & inculta loca luxuriat & in Indiis etiam copiosissime crescit. Apud nos Julio & Augusto floret & autumno fructus maturantur pueris, ut cum Lobelio loquar, no-

Nicolai mat. med. P. II da.

O tissimi,

tissimi, qui ludibundi fructus turgentes in faciem sibi invicem elidunt succoque per amaro & viroso os oculosque profundunt.

§. II.

Virtutes hu- Omnes plantæ partes catharsin vehementer movent sed  
ius, plantae, radicum vis cathartica major est quam foliorum, minor vero  
quam fructuum. Radix externe adhibita potentem possidet  
virtutem resolventem sed rarius usurpatur.

§. III.

Elaterium est succus amarus ex fructu cucumeris asini-  
quid sit id. ni expressus atque inspissatus, veterum vero elaterium ab  
que præpa- elaterio recentiorum, quale in officinis præparari solet, ma-  
randi metho- xime differt. Præparandi id methodus, qualis nunc in offi-  
cniis re- cinis recepta, haec est: fructuum maturorum cucumeris ex-  
centiorum primitur succus, &, vel colando vel decantando a seminibus  
quam vete- pulpaque, que abjicitur, separatur atque inspissando super  
rem.  
ignem in extracti formam redigitur. Hoc pyxidi inclusum asser-  
vatur usui & præscriptum sub nomine elaterii propinatur. Ge-  
nuinus vero veterum elaterium præparandi modus ab illo  
maxime distat longeque est operosior. DIOSCORIDES  
hunc clare exposuit ejusque integra verba ex interpretatione  
Jani Antonii Saraceni adscribere non abs re erit: E fructu  
cucumerum agrestium, sonant verba, medicamentum sit,  
quod elaterium vocatur, ad hunc modum: cucumeres eli-  
gito, qui, simul atque tanguntur, quasi resiliendo succum  
intra se contentum ejaculentur eosque decerpitos una nocte ser-  
varo. Postero die imposito supra craterem rariore cribro, insu-  
perque resupinato ita cultello, ut aciem sursum versus habeat,  
prehensos utraque manu cucumeres singulatim dividito, humo-  
rumque in vas subjectum per cribrum exprimito: simulque car-  
nosam cucumerum partem, quæ cribro hæsit, quo & ipsa  
transmittatur, elidito. Expressum succum in vicinam pelvim  
transfundito. Acervata autem super cribro segminum fru-  
stula, ubi aqua dulci perfuderis itidemque expresseris, tan-  
dem abjicio. Exceptum vero pelvi succum agitato ac per-  
misce-

misceto: moxque opertum linteo soli exponito, ac, ubi coierit, supernatantem aquam omnem cum eo, quod in summo ceu spuma concretum est, effundito: illudque identidem facito, dum aqua superstabit. Hanc, si qua reliqua fuerit, posteaquam guttatum diligenterque excluseris, sedimentum ipsum mortario inditum conterito & in pastillos cogito. Sunt, qui ad coercendam hauriendamque protinus humoris abundantiam, cibratos cineres humi sternunt ac in eorum medio excavata foveola triplicatum linteolum obtendunt, cui elaterium cum humiditate sua infundunt, illaquehoc artificio exhausta, tandem resiccatum ipsum, in pila, uti dictum est, conterunt. Alii pro dulci aqua marinam affundentes ita eluunt, alii in postrema lotura mulsum affundunt.

§. IV.

Notæ, quas *Dioscorides* in bono desiderat elate- Notæ boni  
rio, hæ sunt: elaterium optimum est, quod cum candore elaterii,  
humectum est, minime ponderosum, leve, gustu amarissi-  
mum, quodque lucernæ admotum facile accenditur, at,  
quod porraceum est, scabrum & ad aspectum turbidum ac  
erui cinerisque plenum, grave & vitiosum est, nec desunt, qui  
cucumberis succo amyllum immisceant ut candorem & levita-  
tem ementiantur. Ad Dioscoridis mentem illustris b. m.  
Schulzius, qui egregiam de elaterio, quod in magnos mor-  
talium usus paratur, scripsit dissertationem, elaboravit quon-  
dam elaterium mense Septembri ineunte, cum multis diebus  
pluvia tempestas fuisset, ex viginti cucumberibus sat maturis  
atque inde accepit elaterii grana duo, quod porraceum mul-  
taque humiditate præditum fuit & mansit, et si per integrum  
annum fuerit asservatum. Circa finem ejusdem mensis, cum  
dies aliquot continui essent sereniores seque maturorum cucu-  
merum major & melior proventus præberet, ex quinquaginta  
fructibus eadem methodo præparavit idem vir celeberrimus  
elaterium ex albo parum viridescens, quod siccatum apte potuit  
in pulverem redigi cujusque quantitas non ultra grana qua-

O 2

tuor

tour appendit. Ex his jure meritoque infert, multum in eo esse situm, qualis fuerit tempestas tunc, ubi elaterium præparatur, prægressa & quam mature excocti cucumeres adhibeantur, cum illud, quod humida & pulvia tempestate diu prægressa fuit elaboratum porraceum & non modice humectatum fuerit & manserit, alterum vero ad albedinem etiam talem acquisiverit siccitatem, ut pulveris ad modum dispensari potuerit. Duplex igitur exinde formari potest conclusio, primo, quo magis ad serenum & calidum coelum maturuerunt fructus, eo candidius eoque melius esse evasurum elaterium, & e contrario eo peius, quod ex fructibus non dum decentem assecutis maturitatem præparatur. Porro cum vegetabilium ea sit natura atque indoles, ut, quæ sub coelo calidiore nascuntur, illis, quæ in frigida proveniunt regione, nobiliora sint & præstantiora, exinde clare perspicere atque argumentari licet, quod cucumeres asinini in Graecia vicinisque terris nati atque ex his olim a veteribus paratum elaterium majoribus & præstantioribus fuerint prædita viribus quam cucumeres nostri atque ex his confectum elaterium.

## §. V.

Quid per elaterium al-  
bum seu pallidum nominatur & maximopere laudatur, de-  
bemus combinare notionem. Optime illam nobis suppeditavit vir egregius & exquisitissimæ eruditio-

nem. beatus Schulzius in modo laudata dissertatione §. VIII, dicens: per illud nihil aliud intelligi nisi partem pulposam, quam cucumeris asinini fructus continent maturi, quæque, dum incidentur supra cribrum cucumeres atque exprimuntur, una cum humiditate effluit. Ut autem carnosa hæc pars a seminibus simul exsiliens liberetur, pergit, & per cribrum transmittatur, aquam affundi & cribrum agitari opus est, deinde aquei separatione ab eo, quod probe fundum petit, solicite facta sedimentum exhibet medicamentum in sole vel alio modo blando siccandum.

## §. VI.

§. VI.

Veteres, uti luculenter appetet ex hac tenus memoratis De differen-  
§. III-VI, carnosam tantum fructuum partem abjecta aquæa pro tia præpara-  
elaterio adhibuerunt solam. Recentiores vero veterum mo- tionis & vir-  
dum præparandi elaterium non fuerunt securi sed id ex fuc- tutis elaterii  
co tantum cucumerum asininarum per inspissationem sepa- veterum &  
ratis seminibus & abjecta substantia carnosa seu pulpa para- recentiorum.  
runt. Hanc elaterium præparandi methodum Arabes pri-  
mum introduxerunt in officinas, id quod clare ostendit  
Schulzius loco citato. Hoc, quo etiamnum in officinis  
confici solet, modo præparatum elaterium illo, quod ex parte  
carnosa seu pulpa fructuum elaboratur, virtute longe est  
inferius. Volatile quid elaterio inesse, ex eo elucescit, quo-  
niā ætate mitescīt, atque ex eadem ratione, quod volatile  
avolat, fit, ut elaterium officinarum seu succus cucumerum  
inspissatus adeo debiles exserat vires multumque superetur  
ab altero ignem non experto. Omnes veteres admonue-  
runt nec ulli permettere voluerunt, ut ante bimatum in usum  
vocetur. Insignis ejus catharticus effectus, quem edit in  
dosī parva & quoniam veteres eo externe ad abstergendum  
digerendum atque exedendum fuerunt usi in ulceribus re-  
purgandis, oculorum vitiis sanandis atque id genus aliis af-  
fectibus, luculentum præbet testimonium, id possidere acri-  
moniam.

§. VII.

Singularis a medicis tam antiquioribus quam recentio- Observatio-  
ribus elaterio attribuitur vis atque efficacia hydropem ejus- nes de virtu-  
que species curandi & aquas in corpore stagnantes oedemata te elaterii  
inducentes atque extravasatas promptissime & certissime eva- antihydro-  
cuandi. DIOSCORIDES & PLINIUS hanc ipsi adscribunt pica,  
virtutem & AVICENNA de cucumere asinino hoc affert testi-  
monium, quod conferat hydropisi extrahendo aquositatem  
mirabiliter sine nocimento, quando in potu datur de radice  
ejus obolus & semis (grana quindecim). Bibitur, inquit  
idem, cum aqua mellis & confert vehementer & manifeste

O 3 & pro-

& provocat facile sine læsione & non est stomacho nocivum. Ex recentioribus Italos primum adducere placet. HERCULES SAXONIA, qui ex Italis practica eminent laude, de elaterio ita sentit: Fortissimum medicamentum est succus cucumeris agrestis, qui dicitur elaterium, si dentur ejus grana tria extracti per punctiōnem: si enim per expressionem extrahitur, dantur ejus grana octo vel decem. Ego soleo elaterium præbere in pilula aliqua e. g. accipio pilularum aloephanginarum scrupulum unum & impono elaterii grana tria vel quatuor. Quod HERCULES SAXONIA dicit de elaterio per simplicem punctiōnem parato, credit doctissimus Schulzius l. c. nec immerito intelligendum esse de albo. ALEXANDER MASSARIAS in laudando & commendando elaterio cum priori plane est concors ejusque verba hæc sunt: elaterium fortasse purganda aqua ceteris omnibus validius est & efficacius: ac sane, et si aliter vulgus medicorum opinetur, medicamentum *non est admodum molestum & laboriosum*. De dosi ejus non convenit *inter omnes*. Venetiis ante nonnullos menses accusatus fuit apud magistratum quidam medicus Muranensis, qui ordinaverat cuidam mulieri integrā drachmam elaterii & tamen cunctorum suffragiis fuit absolutus. Ego vero, qui hoc medicamentum per triginta & plures annos frequenter & familiariter utor, non solum in ducenda aqua hydropticorum sed etiam speciatim in ducenda aqua thermarum, si quando illa detineatur in corpore, modo tria, modo quatuor, modo quinque grana exhibere consuevi & nunquam grana sex excedere sum ausus. His subjungo ALEXANDRUM BENEDICTUM, qui in Oper. Basileæ 1508. edit. Libr. XV. cap. XXXVI. de hydrope ascite agens in hunc modum scribit: Novimus Hispanum quendam empiricum, qui pilulam ex succo cucumeris silvestris, ciceris magnitudine, cum vini Cretici aut Rhaetici uncis quatuor dabat purgare volentibus: semicongius aquæ detrahebatur. Delicatioribus cum vino datur, in quo rheum barbarum prius infusum fuerat: totam quandoque aquam una die extrahit.

§. VIII.

§. VIII.

Ex Britannis MARTINUM LISTERUM & SYDENHAM in medium profero. Illius fere tota exercitatio de hydrope est elaterii commendatio. Ita laudat elaterium ejusque virtutem commendat utilissimam, ut eam exemplis comprobet atque dissentientium dubia infringat. Hic vero in Tractatu de hydrope p. 617. edit. Lipsi. laudat elaterium ut sacram anchoram in hydrope eique sequens dat probitatis testimonium: elaterium five faecula cucumeris agrestis potenter in permodica quantitate vires suas exserit in conturban- da alvo & faecibus cum serofis & aquofis humoribus copiose egerendis, adeo, ut ejus grana duo in plerisque, in genere loquendo, corporibus dosis aptissima sint. Ad Batavos accedens provoco primum ad JOANNEM HEURNIUM, qui ita differit de elaterio: nullum aquaeducum æque valet ad exhaustionem aquæ ac hoc nobile remedium. Hoc elicit aquam eam, quæ in abdomen effluxit quæque extra venosum genus elapsa intra omentum & intestina natat. Reliqua fere eam aquam prolectant, quæ venis adhuc contenta parvo negotio elabi potest sed difficile est, hanc resorbere ac ad intestina revehere jam semel effusam. Haec tenus Heurnii verba. Deinde JACOBUS BONTIUS ex ipsis Indiis elaterio sequens probitatis testimonium transmisit: crescit hic, inquit in Libr. de medicina Indor. pag. m. 149, summa in copia cucumber afinus, unde elaterii succum non semel confecimus, cuius scrupulum ad drachmam dimidiam non sine magno successu ægris sæpe exhibuimus. Vir summus BOERHAVE in Tractatu suo de viribus medicamentorum edit. Parif. MDCCXXVII. de elaterio hæc scribit: hoc medicamentum est acerrimum, quin & ita viscosum, ut, licet per centum annos servetur, nihilominus tenax maneat: laudatur a Sydenhamo tanquam ultima anchora in hydrope. Inter Germanos medicos non pauci summi viri, ut B. FRID. HOFFMANNUS a) ETTMILLERUS & HIERONY-

MUS

a) Clavi Schröder. p. 436.

MUS REUSNERUS b) elaterii laudes valde prædicant usumque commendant.

## §. IX.

Observatio  
de vi elaterii  
aquaſ fon-  
& stagnanteſ  
e corpore  
expellendi.

Quemadmodum sat multa adduxiſſe videor testimonia, quæ insignem elaterii aquas hydropticorum evacuandi efficiaciam demonstrant, ita non mihi deficiunt documenta, quæ ejus virtutem aquas thermarum potas ſed reſtagnanteſ & hydropeſ, qui anafarca dicitur, minitanteſ expellendi, priori analogam, ante oculos ponunt. De hac plura diſſerit GABRIEL FALLOPIUS de medicatis aquis & fossilibus p. 55. edit. Venet. quea ita ſe habent: quodſi aqua stagnet in veniſ - - ſupereft tantum evacuatio per intestina, quæ commendatur. Et iſpa utuntur, quoties offertur occasio, excellentiſſimi medici iſti Patavini & nos cum iſpiſ, ſed, quo medicamento id faciant, credo, vos huic uſque non audiuiſſe, quoniam iſpiſ ſecretum tenent nec alibi extra hanc urbem eſt in uſu medicamentum, quo in hoc caſu utuntur. Ego vero, quia vos fratrum filiorumque loco habeo omnes & amo, non poſſum vobis non communicate ac detegere medicamentum, quo certe in hac re inveniri non poſteſt præſtantius. Capimus pilularum aloephanginarum & maſtichinarum ſcrupulum & addimmoſ unum vel duo ad plus grana elaterii optimi &, facta pillula ex hiſ duobus ſimul mixtiſ, iſpam exhibemus ſecunda die, vespertina hora, per diuidiam vel integrā horam ante coenam. Sed animadvertaſis, ne quantitas elaterii excedat duo grana, quia maximum eſt medicamentum. Unde hortor vos etiam, ut, quando unum vel alterum duntaxat granum exhibueriſ, non dicatiſ cuiquam, ne ſuccedens poſtea aliquod grave ſympotia vobis adſcribatur damno & dedecori. Et haec eſt fortaffe cauſa, cur medici iſti doctiſſimi nolunt vobis medicamentum coommunicare. Tamen, ut dixi, medicamentum eſt præſtantiuſſimum, & ipſo utuntur medici noſtri & nos cum iſpiſ,

a) Observat. medic. CLXVII.

ipsis, quotiescumque datur occasio; & res feliciter succedit.  
Hactenus Fallopius.

§. X.

Sicuti hydrops varia loca, ita etiam pectus occupare De utilitate potest & hoc in casu respirationem reddit impeditam & difficultatem elaterii in flicem anxietatemque producit præcordiorum. Tali in casu hydrope su etiam elaterium egregium & maxime salutarem exserere potest effectum & tam DIOSCORIDIS quam AVICENNÆ testimonio anhelosis & difficulter respirantibus insigni commendatur elogio. Præter hunc usum ei adhuc alium adscribit ARETÆUS de Curat. acut. Lib. I. cap. VII. pag. 87. in curanda angina. Si deglutiendi via, inquit ibidem, via expeditissima sit, elaterium cum mulsa & sero lactis, quantum ad purgandum hominem satis sit, præbeatur; aliis enim purgatoriis elaterium in his ægrotis est præstantius.

§. XL

Omnis, quos hucusque allegavi, Autores non uno eo- De dosi elaterii. demque elaterio sed nonnulli albo ad mentem Dioscoridis terii. præparato, alii vero vulgari officinarum vel ad harum modum confecto elaterio fuerunt usi, & hinc venit, ut in dosi non convenient. Unicum enim granum albi ad Dioscoridis methodum præparati elaterii longe majorem exserit efficaciam quam plurima vulgari in officinis recepto modo præparati grana, observationibus id testantibus.

§. XII.

Non possum silentio præterire notatu dignissimas ob- Schulzii ob- servationes circa usum elaterii ab Excellentissimo B. Schul- servationes zio institutas atque animadversas. Consignatae sunt in egre- de virtute gii hujus viri doctissima dissertatione de elaterio easque hic elaterii. adscribere mihi liceat: Quum ante complures annos, inquit, inter quosdam philiatros de elaterio familiarem sermonem habuissent summorumque virorum dissona judicia protulisse, hoc ipso sermone permoveram juvenem robustum

Nicolai mat. med. P.Hda.

P

sanissi-

sanissimum, qui saepius Conradi Gesneri exemplo medicamentorum virtutes in suo corpore periclitatus fuerat, ut, nemine suadente aut conscio, sponte sibi elaterii sex grana ex pharmacopolio peteret admixtoque gialappae pulvere in pilulas redigeret, quas mane devoravit. Nondum hora elapsa fuerat, cum ventris tormenta, non majora quam a mercurio dulci saepius passus fuerat, sentiret. Ipse vero infusi Theæ sufficientem quantitatem superbibit, unde venter ter quaterve solutus, juvenis autem non laesus fuit, ut ante prandii tempus, quomodo tentamen sibi cessisset, nuntiatum veniret. Hominem amice monebam, ut cautor esset, non eadem sanis innoxia esse, quæ ægroti impune sumunt: Hippocratem sanas carnes habentibus elleborum dari vertuisse: a veterinariis napelli radicem equis certo morbo laborantibus salutariter dari, si morbus absit, equum ea radice certo necari. Non multo tempore interjecto adcidit, ut medicinæ Lic. Theodoro Israeli, quo familiariter utebar, curandus obtingeret capillamentorum concinnator, cui venter & pedes insigni tumore distendebantur, ut nemini dubium esset, hydrope hunc virum laborare. Deliberato animo a nobis statuebatur elaterii vires in hoc homine experiri. Praescribebantur elaterii decem grana, adiecta pulveris gialappæ haud certe minori quantitate, ut bolus inde parari possit. Inter spem & metum exspectabatur alter dies, quo Lic. Israel non sine incredibili gaudio referebat, quam copiose & fere sine ullo tormento aquas æger exoneraverit. Metum fere incutiebat subita tumoris subsidentia: sed quum roborantia subjungerentur & vir ille monitis parceret, pristinæ sanitati perfecte restitutus est.

## §. XIII.

Continuatio  
ne antece-  
dantis.

Tam felix curatio, pergit b. SCHULZIUS vir de medica & litteris, quæ ad humanitatem atque antiquitatem pertinent, meritissimus l. c, ut fieri fere solet, viam ipsi ad plures stravit, ex quibus tantum duas commemorabo. Vetus

tula eidem Lic. Israeli offerebatur hydropica, quæ mortem non deprecabatur, utpote vite fatura tantum optabat, ut, si quid ars valeret, fatalem diem ad unum mensem differre liceret; esse sibi filium unicum, nescio cuius artis causa peregrinantem, cui reculas suas tradere vellet, ne manibus alienis commissæ detrimentum caperent. Is studium promittit jamque audacior factus drachmam dimidiā, adjectis aliis in bolum redactam, pro duabus dosibus præscribit. Illa vero, nescio, quo felici errore, integrum suum sit, non solum sine ullo damno sed cum tam insigni & admirabili fructu, ut, quæ mensem unum superare optaverat, immunis a pristino morbo annos supervixerit. Eodem anno nobilis quidam prope Alstadium Palatinatus Saxonie urbem, advocabat Dom. Israelem, ut ipsum ab hydropē liberaret. Satis iam desperatus videbatur ægrotus, quippe non solum abdomen sed cum pedibus & scroto manus etiam atque facies tumebant. Adgreditur tamen morbum tam felici successu, ut penitus se restitutum crederet vir nobilis. Quum vero non satis sibi temperaret ab iisdem causis, quibus prius morbum incurrerat, recidivam sibi paravit, quæ vitæ finem attulit, quum nondum quinquagesimum annum visendo attigisset. Quum Altorffium advenisset, conveniebat me vir ex vicini Comitatus Wolfsteinensis vico Mulhusa, & ut mos est, urinam conspiciendam offerebat. Dicenti lotium esse hydropici, adnuebat seque credere profitebatur, filium suum hoc laborare morbo: se autem antea in consilium adhibuisse nescio quos uromantas & medicastros & horum quosdam adseverasse, fascinatum illum esse, alios alia perhibuisse & remedia in cassum dedisse. Puer erat decem annorum & per dimidium anni iam laboraverat hoc malo. Præscribebantur elaterii quinque grana cum syrupi de spina cervina uncia unica. Viro severè iniungebatur, ut effectum remedii vel ipse nunciaret vel nunciandum curaret. Quinto die lætus & alacris redibat, filium suum bene habere exponebat: sine molestia illum semel nigra & quasi picca vomuisse; semel multum aquæ per alvum ejecisse.

P 2

Nunc

Nunc ipsum sibi videri redditum, quoniam a quo tempore medicinam accepisset, appeteret recteque dormire posset. Tumoris in ventre reliquias adesse: quare veller, si id rectum videretur, eandem medicinam sed fortiorum offerri. Mos ipsi gerebatur & elaterii octo grana unciae syrapi praedicti miscebantur: simulque pro visceribus confirmandis dabantur aliqua, post evacuationem exhibenda. Post mensem negotiorum suorum causa huc profectus pater nunciavit, filium suum integerrime valere.

#### §. XIV.

Monitum de Maxime inculcat Vir saepius laudatus Schulzius l. c. ve-  
ætate elaterii terum illam cautionem, de elaterio albo ad mentem Diosco-  
circa ejus ridis parato confidenter non exhibendo, antequam duos  
usum.

ridis parato confidenter non exhibendo, antequam duos  
vel tres annos habeat. Recenset ibidem casum, quo elateri-  
um Septembri mense confectionum §. IV. hydropico in mi-  
nima quantitate non integrum granum æquante cum dosi  
pilarum lenissime laxantium comixtum Februario sequentis  
anni fuit propinatum, cui non sine alvi tormentis purgatio-  
nes vehementes *ārā nārā nārā* concitavit, ut faeces non aliter  
quam succus ex maturo cucumere elisus longissime proflarent,  
sed conjicit, aliquam forte culpam in eo refessisse, quod non om-  
nes cucumeres non perfectam maturitatem ob crebras pluvias  
fuerint adepti, unde non satis album apparuit, ut pluribus  
expositum fuit §. IV.

#### §. XV.

Schulzii mo- Quotiescumque beato Schulzio se obtulerunt ægroti hy-  
dus exhiben- drope oedematibus aut spirandi angustia laborantes, elate-  
di elaterium, rior frequentet est usus sed non alio fere nisi illo, quale in  
nostris officinis præparari & prostare solet. Dedit adulto  
homini grana viginti, quæ si nondum satis operarentur,  
ad grana viginti quinque vel triginta ascendit. Nihil un-  
quam vidit, cur illum poenitere vel medicamenti vel tantæ  
doseos debuerit. Diluendum jussit aqua cinnamomi vel men-  
thæ atque admiscuit syrapi despina cervina unciae uni. Post-  
quam

quam medicina assūpta fuit, iuscum assūendum præcepit: quod non solum propter syrum faciendum esse præclarū practici monent, verum etiam in elaterio exhibendo veteres obseruasse cognovit. Atque sic exhibitum sine tormentis copiosas sed paucas numero facit dejectiones: proximumque bonae operationis consequens est appetitus notabilis restauratio: tantum abest, ut appetitum prosterat, qod aliqui theoretici tam aperte quam invita experientia & veritate scripsierunt. Hic fuit modus elaterium exhibendi b. Schulzio usitatus, quem propriis ejus verbis hic adponere placuit, satisque luculenter duce eodem viro illustri præeunte demonstrata fuit Pliniani effati veritas, elaterium ad magnos mortalium usus parari.

§. XVI.

Non defunt, qui elaterium magnorum accusant criminum, heroicum draisticum & minus tutum & securum declarant, venenis accensent & e foro medico plane proscribendum esse contendunt, nec dubito, quin, si non legitime & prudenter adhibetur, funestos producere queat effectus, sed dannorum, quæ ab imprudenti & perverso medicamenti usu profiscuntur, culpam in medicamentum conjiceræ aequitati maxime repugnat. Si ab usu omnium istorum medicamentorum sit abstinentium, quæ minus caute & circumspecte adhibita damna effecerunt, quænam superercent medicamenta ad usum secura tuta atque apta, innocua, quæ non macula affici possent? Optima remedia incauto & imprudenti usu noxia evadere possunt. Neque hoc vitio & fraudi esse potest elaterio, quod non omnes a morbo liberet. Possunt enim adeo graves viscerum lœsiones subesse, ut elaterium illas expedire non valeat ejusque vim eludant. Illis tandem, qui draisticam ejus indolem reformidant vel accusant, respondeo, quod eam ob causam calculo nigro notari atque e foro medico exterminari nequeat, nisi simul omnia reliqua draistica relegentur, deinde, quod elaterium, præsertim

album, tam mite reddi possit, ut officium suum lento gradu & vix sensibili modo per urinam alvum & transpirationem peragat; quo certe in incipientibus morbis nihil potest cogitari efficacius. Si enim illud imbuitur correctore Starckeyano, cum opii debita proportione commisetur & sic in pilulas redactum exhibetur, drasticam deponit indolem & leniter per alvum & urinam suam exferit efficaciam. Summus Vir BOERHAVE trochiscos alhandal eodem modo correctos expertus fuit summum stomachicum, (vide §. XII. Cap. VII. de Colocynthide) atque idem de elaterio sic praeparato se observasse testatur b. Schulzus l. c.

## §. XVII.

De Capivacii  
usu elaterii,  
viribus radi-  
cis & succi  
cucumberis  
asinini.

**CAPIVACCUS** quoque frequentiori in usu habuit elaterium. *Præscriptum* id in initio in minima quantitate ut ad granum dimidium vel *integrum*, *successive* augens dosin ad grana aliquot, si morbus postularit & vires tulerint. Adhibuit quoque radicem cucumberis asinini a granis quindecim usque ad drachmam dimidiem vino maceratam in hydropicis sequenti modo:

Recipe rad. cucum. asinin. exsiccatæ  
& pulverisatae drachmam dimidiem  
vini Malvatici vel Hispanici uncias duodecim.  
Macerentur per triduum. Vinum hoc cum pulvere tribus partitis vicibus per tres dies continuos mane jejuno ventriculo propinetur, deinde tribus aliis vel quatuor intermissis diebus rursus aliud vinum hydragogum per tres alios dies exhibeat. Sic citra molestiam plurimos hydroponicos sanavit Capivaccius.

Radix etiam purgandi scopo adhibetur sed non cruda verum in extracti vel essentiæ forma. MICHAELIS ex hac radice tinturam extraxit cum spiritu vini tartarifato, quam speciatim in hydrope uteri commendavit. Exhibuit eam a drama una usque ad duas cum oleo cinnamoni vel alio quoque

que commixtam. Externe radix hæc frequenti in usu est ad discutiendum & resolvendum vel sacculis includendo ejus pulverem vel cum liquido sub cataplasmati forma eum applicando. Succus cucumeris asinini recens ad cochlear unum propinatus fortiter purgat, externe ad tumores duros resolvendos & discutiendos in forma cataplasmati vel unguenti adhibetur & RIVERIUS multique cum eo efficaciam ejus in scrophulis & strumis resolvendis prædicant maxime salutarem. Naribus attractus ad guttas aliquot multum seri educit & a nonnullis utilis dicitur ad ieterum curandum, alii contra eum foetum pellere vivumque enecare afferunt, quod, si verum est, cum aliis draſticis purgantibus & vomitoris habet commune.

### §. XVIII.

Ex his omnibus, quæ haetenus de cucumere asinino, Scholion. fructuum ejus succo & elaterio tam antiquorum quam recentiorum differui, facile liquet, succum fructuum & elaterium veterum & quale hodie in officinis præparatur, maxime a se invicem differre & probe esse discernenda. Utraque elateria tam veterum quam recentiorum ex succo fructuum cucumeris asinini præparantur, magnum tamen inter utrorumque præparationem intercedit differentia. Illud enim, nimirum veterum, ex pulpa seu parte carnosa succi fructuum separata parte aquosa, hoc vero, quod in officinis prostat ex parte tantum aqua hujus succi rejectis semenibus & pulpa per inspissationem elaboratur, id quod etiam causa est, ut ratione virtutis maxime a se invicem discrepent.

## CAPVT XIV.

DE

## SALIBVS QVIBVSDAM MEDIIS.

### §. I.

Non de omnino salibus mediis hic agere meus est animus De quibus.  
sed tantum de quibusdam, quæ scilicet præ ceteris ad nam salibus  
purgandum solent adhiberi & quæ sunt 1) SAL ANGLICA- mediis hic  
NUM agatur & spe-

ciatim de sa- NUM 2) SAL CAROLINENSE 3) SAL SEDLICENSE & le Anglicano SEIDSCHUZENSE & 4) alia, quæ ad horum naturam atque ejusque va- indolem proxime accedunt. Me quidem non præterit, om- riis specie- nia salia media in sufficienti & largiori quantitate assumenta bus.

purgationem producere, sed, quoniam nonnulla præ aliis virtute cathartica maxime eminent & hanc ob causam potissimum ad alvum laxandam usurpari solent, horum tantummodo naturam atque habitudinem, reliquorum considerationem ad commodiorem locum reservans, exponere consti- tui. Pertinet ad ea sal medium amarum quod SAL ANGLI- CANUM item EBSHAMENSE EPSONIENSE nuncupatur & sub his nominibus venditur. Duplex est vel NATIVUM vel FACTITIUM. NATIVUM rursus est vel FONTANUM vel FOSSILE. Hoc, nimirum fossile, referente D. MENDEZIO in Historia Academie Regiae Scientiarum Parisiensis ann. 1718. Limingtonii in comitatu Hamptonensi ut & Port- sea-Islandiæ prope Portum Magnum vulgo Portsmouth e singulari minera salina ex amaro & marino sale mixta obtinetur. Memoratum nempe sal fossile in acervos congeritur, ut sensim & quoad partem liquefaciat, liquor falsus amarus acris ex acervis stillans per canales quosdam in foveas deducitur, ibidemque successive in sal siccum coagulatur. Sal coagulatum in aqua simplici in ahenis ebulliente denuo solvitur & ita aliquot dies post coctionem relinquitur, ut non refrigeretur solum sed aqua etiam gravior sale marino imprægnata a leviori supernatante lixivio amaro ad fundum vasis fecedat, quo facta operarii lixivium superius amari- cans exhaustiendo separant, separatum denuo in ahenis co- quunt & tandem, facta sufficienti evaporatione, ad crystallandum reponunt. Fontanum vero non tantum ex aqua scaturiginis soteriæ, quæ in Angliæ pago Epson sive Ebs- ham provenit, sed ex aliis etiam Brittanniæ fontibus mediatis ut Northallensibus, Strettamenibus, Dulechenibus aliisque evaporando & crystallando paratur.

§. II.

§. II.

Ex insigni, quæ consumitur, salis Anglicani quantita- De sale An-  
te, vili, quo constat, pretio & paucissima, quam aqua fon- glicano fadi-  
tis Epsoniensis largitur, salis copia facile est collectu, istud tio.  
arte præparari adeoque esse factitium. Conficitur id ex  
muria post salis marini depurationem & crystallisationem  
residua, quæ dicitur Saltzmutterlauge, & huic capite mor-  
tuu vitrioli vel vitriolo calcinato debita in quantitate com-  
mixto. Quod ex horum combinatione nascitur, sal me-  
dium coquendo cum aqua extrahitur, liquor filtratus coagu-  
latur, sal siccum calcinatur, calcinatum denuo in aqua solvi-  
tur, filtratur, evaporatur & ad crystallisandum in locum fri-  
gidiusculum reponitur. Hoc sal factitium quotannis in An-  
glia magna conficitur in copia atque exteris pro vero Ebs-  
oniensi nativo venditur. Excellentissimus b. m. Neumannus,  
qui in Angliam profectus est, iter suscepit ad pagum Epson  
& vidit, ex aqua fontis ibidem saturientis nullum præpa-  
rari sal eamque admodum exiguum salis largiri copiam, ut  
non possit suppeditare ingentem ejus copiam, qua in Anglia  
& extra eam consumitur. Refert hic laudatus vir hoc sal  
magna in copia in Portu Magno, qui vulgo Portsmouth di-  
citur, ex ingredientibus vilioribus & abundantibus, reliquiis  
alii usui non amplius inservientibus, speciatim ex salis ma-  
rini, quod in Anglia usu tantum receptum est, muria &  
aditamento corporum & materiarum, quæ acidum vitrio-  
licum continent, ut pyritarum, minerarum vitriolicarum  
& aluminosarum idque genus aliarum, quæ abundant in An-  
glia, præparari. Sæpius laudatus BOULDUC in Monu-  
mentis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis ann. 1718.  
nititur demonstrare, quod sal medium, quod nascitur,  
quando solutioni aluminis aquosæ filtratione depuratæ oleum  
tartari per deliquum seu saturara salis tartari solutio usque  
ad punctum saturationis infunditur, sali Anglicano sit per-  
fecte simile, verum enim vero a recto veritatis tramite longe  
aberrare mihi videtur, cum, ut ex jam allegatis liquet & ex in-  
fra dicendis clarius apparebit, necessario ad constitutionem

Nicolai mat. med. P. II da.

Q

& na-

& naturam salis Anglicani requiratur pars salis communis alcalina quæ vero tam salis tartari quam aluminis mixtio-  
nem plane non ingreditur. Dum enim secundum Clarissimi BOULDUC mentem solutioni aluminis aquosæ sal alcali fixum solutum, sive sit oleum tartari per deliquum sive solutio salis tartari, ad punctum usque saturationis infunditur, sal alcali fixum terræ aluminosæ conjunctionem atque unionem tollit, e mixtione separat & ad fundum dejicit, cum acido vero aluminis, quod vitriolicæ indolis est, intimum iniens connubium in sal concrescit medium, quod postea, præmissa liquoris filtratione iterata & evaporatione in loco frigidiusculo crystallos exhibet neque cum sale Anglicano convenit sed nil nisi tartarus est vitriolatus, utpote qui est sal medium ex acido vitriolico cum sale alcali fixo coniuncto constans §. CLIX. Sect. III. Part. I.

## §. III.

Salis Angli-  
cani partes  
constitutivæ  
& phæno-  
mæna.

Sal Anglicanum, quod arte in Anglia paratur & vili  
pretio in ingenti copia ad nos affertur, est sal medium,  
quod ex acido vitriolico & sale alcalino salis communis est  
compositum §. II, adeoque species salis mirabilis Glauberi  
§. CLIX. Sect. III. Part. I. Hoc habet peculiare & notatum  
dignum, quod promissime & magna in copia a pauca  
aqua quantitate solvatur, siquidem uncia una aquæ obser-  
vante b. Hoffmanno in Observationibus Physico-chemicis  
Lib. III. Obs. VI. no. 5. integrum salis, de quo hic sermo  
est, unciam solvit atque in se recipit; id quod luculentum  
præbet documentum de insigni hujus salis solubilitate, ma-  
gna molecularum ejus subtilitate, minori cohæsione & vi  
penetrandi in alia corpora; salia enim, quæ facile & in pauca  
aqua solvuntur, subtilissima atque arctissima vasæ capillaria  
& interstitia præ aliis subire permeare & in partes remotissi-  
mas penetrare valent, quod crassioribus denegatum est sali-  
bus. Raro vel nunquam purum est sed semper cum ordina-  
tio sale vulgari commixtum, cuius præsentiam experimenta,

quæ

Quæ sequuntur, luculenter demonstrant: primo cum oleo vitrioli si miscetur, exsurgit cum fumo albo tenuissimo non secus ac cum sale communi contingit, effervescentia, deinde solutio hujus salis non secus ac salis communis argenti solutionem in pulverem album præcipitat atque in fundum dejicit.

§. IV.

Sal Carolinense suppeditat fons ille, qui furioso impetu Præparatio fervidissimus ex terræ latebris profluit & a vulgo in Caroli-salis Carolinis thermis dicitur der Prudel. Hujus videlicet aquæ fer-  
ventissimæ pro una vice circiter mille libræ vulgares ex sca-  
turigine haustæ in catina ferrea super igne polita usque ad  
cuticulæ apparentiam inspissantur & prævia per filtrum co-  
latione acri frigidiori exponuntur, ut in crystallos abeat in-  
spissamentum, remanens autem a prima crystallisatione li-  
quor de novo inspissatus ad crystallifandum reponitur, atque  
hoc tamdiu reiteratur, quamdiu in fundo sal coire cernitur.  
Emergent inde crystalli prioribus ex asse similes, nisi quod  
ultimæ a prioribus albedinis præstantia superentur. Massa  
produeti hinc salis æquat trium librarum medicarum pon-  
dus; unde calculi beneficio constat, quod ex una libra aquæ  
drachma circiter dimidia salis puri sit elicienda. Residuum,  
quod in fundo post absolutam crystallisationem conspicitur,  
est tinctura aurantii coloris, saturate lixiviosa, cum acido ta-  
men minus effervescens, saponacea & oleosa, quæ spiritui  
vini rectificatissimo permixta ex parte ab eo solvit & alca-  
lino caustico sapore eum imbuīt, ex parte vero in fundum  
instar magmatis spissi delabitur, ad filtri vero parietes con-  
crescit terra martialis adstringens lutea croco martis similis.  
Videatur beati Hoffmanni Dissertatio de sale medicinali Ca-  
rolinarum.

§. V.

Ad salis Carolinensis indolem & differentiam a reliquis Phænomena  
salibus, potissimum sale Sedlicensi, perspiciemad maxime salis Caroli-  
faciunt experimenta cum eodem instituta ab illustri b. m. Hoff-  
manno,

Q 2

manno,

manno, quæ sic se habent: I) Paratum e thermis Carolinis sal ex crystallis constat oblongis, nivei coloris, pellucidis & interspersis hinc inde variis aquosis. Sed license minores exhibet, quæ itidem oblongæ quidem sunt sed albedine & aquosa pelluciditate prioribus cedunt.

II) Sal Carolinarum tam in aqua solutum quam solida forma gustu exploratum saporem præbet ex parte lixiviosum, ex parte amaricantem, mitiorem tamen, quam sal Sedlicens, quod intense amarum est & valde nauseosum

III) Aquæ purissimæ communis calefactæ uncia salis Carolinarum drachmas decem & scrupulos duos, Sedlicensis vero unciam unam recipit; frigidæ vero eadem portio a Carolinensi præter drachmas sex cum uno scrupulo & a Sedlicensi præter drachmas quinque & duos scrupulos *nihil solvit*.

IV) Solutio salis Carolinarum ex adjecto syrupo violarum colore adipiscitur viridem; a quo Sedlicens nullam patitur mutationem.

V) aqua Carolinarum sale saturata ab oleo tartari per deliquium nullam sentit turbam, Sedlicensis vero solutio ab eodem in spissum lacteum coloris convertitur coagulum.

VI) productum ex Carolinis fontibus sal cum omnibus tam mitioribus quam fortioribus acidis vehementer effervescit, hinc ab affuso vitrioli spiritu vel alumine crudo in aqua prius soluto desinente effervescentia in sal tertium amarum transit: quod non contingit cum Sedlicensi.

VII) Spiritus vini rectificatissimus saturatæ salis Carolinarum solutioni affusus lacteum ei inducit colorem & in fundum dejicit pulverem tenuissimum albicantem; qui ablato per accensionem spiritu vini in aqua facilime solvit. Idem vero si Sedlicensi soluto misceatur, præcedente coloris turbidi in lacteum mutatione, spissum ni-

- niveæ massæ præcipitatur coagulum, in aqua tamen post combustum vini spiritum promte solubile.
- VIII) Cum sale ammoniaco per triturationem probe subactum sal Carolinense sponte liquefcit & odorem separavit volatilem penetrantissimum; quod frustra expectatur a Sedlicensi cum eodem miscela.
- IX) Eductum e thermis Carolinis sal fornaci calidæ injectum cito fluit, frigidioris vero aeris accessu diutius expositum non liquefcit quidem sed instar magnesiae in tenuissimas moleculas dissolvitur. Sedlicense nec a calenti nec frigido aere mutatur.
- X) Etiam igne difficultius fluit quam prius.
- XI) Una salis Carolinarum pars cum dupla antimonii crudis portione permixta & in crucibulo carenti fusa præbuit regulum antimonii medicinalem intensè rubicundum & fragilem; qui ab eadem salis Sedlicensis & antimonii miscela fine sale tartari obtineri non potuit.
- XII) Sal Carolinarum cum sexta pulveris carbonum parte mixtum in crucibulo ignito facilime fluit & massam hepatis sulphuris æmulam largitur, quod in aqua solutum atramenti instar est sympathetici & literas ex solutione sacchari saturni vel aceto lithargyrii chartæ impictas, antea non plane cognoscendas, luteum iis inducendo colorem manifestat. Sal Sedlicense idem nunquam præstat fine additione salis tartari.
- XIII) Ejusdem hepatis sulphuris in aqua facta solutio viridefcit sed aeri libero diutius exposita colore adsciscit limpidum, delabente interea in vitri fundum terra viridi, a qua si purior aquæ portio separetur & separatae spiritus vitrioli affundatur, penetrans admodum foetidus emergit odor & sulphur ex albo cinereum præcipitatur; quod ipsum cum oleo terebinthinæ vel amygdalarum intime subactum balsamum sulphuris constituit. Sal Sedlicense eadem proportione cum pulvere carbonum mixtum & eodem modo in crucibulo candente tractatum, prævio magno ebullitionis motu ful-

Q. 3

ful-

sulphureum præbet odorem, neque fortissimo igne fluit, & calcinatum in fundo relinquit terram in aqua minus solubilem; quod si vero miscelæ huic sub initio sal tartari adjiciatur, eadem contingunt phænomena, quæ a sale Carolinarum jam memorata.

XIV) Idem quoque singuli effectus observantur, si loco pulveris carbonum nigricans illa, quæ a liquoris anodyni mineralis destillatione remanet, substituatur terra ac cum eadem Carolinarum sali justa proportione nupta simili ratione adornentur experimenta; luculento testimonio, quod ista terra multum sulphureæ & inflammabilis materiae in se complectatur. Nihil horum succedit cum Sedlicensi ejusdem destillationis capiti mortuo juncto, nisi conveniens salis tartari portio adjiciatur.

XV) Ultimo denique per destillationem nostrum sal exploraturi tres ejus unicas indidimus retortæ vitreæ, ex quibus fortissimi ignis beneficio præter omnem spem atque opinionem unam cum dimidia unciam & drachmas duas aquæ limpidæ dulcis & empyreumaticum odorem exhibentis, quæ nec cum acido nec alcali ebullit, obtinuimus. Residuum in retorta cinericæ erat coloris, solvebatur in aqua, & ab affuso oleo tartari per deliquium penitus non mutabatur, cum acido vero mixtum effervescebat. Cum sale ammoniaco tritratum penetrantisimum spargebat odorem, absque tamen colliquatione, quæ ab ipso Carolinarum sale ante destillationem observata fuit. Par salis Sedlicensis quantitas retortæ indita aquæ insipidae unciam unam & drachmas tres, phlegmatis aciduli autem drachmas duas dedit. Remansit hinc terra spongiosa calcaræ nivei coloris cum aqua frigida instar calcis vivæ fortiter ebulliens & eam calefaciens, quæ cum sale ammoniaco mixta omnis odoris expers manet & in aqua soluta ab adjecto oleo tartari per deliquium in spissum vertitur coagulum.

§. VI.

§. VI.

Omnia hæc adducta experimenta salis partim medii Indoës & partim alcalici præsentiam demonstrant in sale Carolinensi, natura salis quare dubitari nequit, quin id sit sal compositum ex sale Carolinensis. alcalino & medio. Crystalli magni oblongi pellucidi albissimi, quos exhibet §. V, id ex sale constare medio evincunt & salis alcalici commixtionem satis superque patefaciunt allegata experimenta §. V, atque, quantum ex his concludi potest, sal alcalinum a dimidia salis medii quantitate parum recedit, sal vero medium, quod alteram salis Carolinensis partem constituit, ex acido vitriolico & sale alcalino constat.

§. VII.

Sal amarum Sedlicense & Seidchuzense ratione originis naturæ & virium perfecte conveniunt unumque idem que sal exhibit. Utraque ex aqua amara, quæ in Bohemiae pagis vicinis Seidlitz & Seidschütz scaturit & magna in copia ad exterios partim in lagenis partim in doliis evehitur, simplici evaporatione & crystallisatione paratur. Aquæ libra binas hujus salis medii drachmas ac præter id nihil aliud in se continet.

§. VIII.

Sal amarum Sedlicense & Seidchuzense crystallis gaudient albicantibus, splendentibus parvulis & tam amaro sapore, ut adsumentibus nauseam moveant. Nec a frigido nec calido aere patiuntur mutationem, difficilius ad ignem, quam sal Carolinense, fluunt dimidiisque ponderis partem æque ut sal Anglicanum sub aquosi vaporis forma amittunt, tardius vero & minori quantitate quam hoc in aqua tam calida quam frigida solvuntur. Sunt salia media ex acido Vitriolico & sale alcalino salis communis composita adeoque species salis mirabilis Glauberi §. CLIX. Sect. III. Part. I. Vitriolici acidi hæc salia constituentis præsentiam demonstrat massa hepatici sulphuris simillima, quæ nascitur, quando cum sufficienti pulveris carbonum & salis tartari quantitate in

in crucibulo funduntur. Terreum denique principium ea ingredi, vel ex hoc solo patescit, quoniam post eorum solutionem in aqua pura fontana terreum remanet sedimentum.

### §. IX.

De salibus  
fontium me-  
dicatorum.

Salia, quae ex fontium salubrium aqua inspissando praefontium me- parantur, dicuntur salia fontium medicatorum. Hujus generis sunt sal Carolinense, Sedicense & Seidschuzense, de quibus jam supra locutus fui. Pertinet ad ea quoque sal Egranum, quod ex aqua fontis Egrani ope evaporationis preparatur. Omnia haec salia fontana in eo conveniunt, quod salia sint media, & plurima sunt species salis mirabilis Glauberi, id quod iam demonstravi de sale Sedicensi & Seidschuzensi §. VIII, & de sale quoque Egrano aliisque valet.

### §. X.

De virtute  
salium me-  
diorum re-  
solvente &  
stimulante.

Omnes, quos & quotquot producunt effectus salia media, præstant tantum stimulando & resolvendo §. CCCCLXIV. Sect. VI. Part. I. & reliqui omnes, qui ab ipsis proficiuntur & illis attributuntur, effectus a virtute eorum stimulante & resolvente dependent soli. In primis vero ea viscidum glutinosum pituitosum resolvere res est nota testata ac manifesta omnibus nec eget documentis.

### §. XI.

Vires salium  
mediorum  
reliquæ.

Si fibræ & vasa tono suo sunt privata, non debita vi agunt in fluida eaque propellunt, hinc resolutio eorum non decenter peragit, visciditas increscit, secretiones atque excretiones imminuuntur, fluida magis magisque depravata acquirunt qualitatem, stagnationes atque obstructiones nascentur. Si fluida viscidæ sunt, secretiones atque excretiones impediuntur, impuritates & vitia in fluidis generantur, & facile stagnationes atque obstructions oriuntur. Omnibus his malis medentur salia virtute sua stimulante & resolvente §. X. In fibris motricibus & vasis blande stimulando fortiorem contractionem excitant, quæ sanguinis & humo-

humorum motum & circuitum accelerat auger atque inten-  
dit, quo fluida magis resolvuntur & majorem acquirunt  
fluiditatem, secretiones atque excretiones impeditae resti-  
tuuntur atque augentur, noxia atque inutilia e corpore eli-  
minantur, causae morborum præsentes tolluntur & futuræ  
præcaventur. Visciditatem humorum resolvendo omnes ef-  
fectus, qui hinc oriri possunt, ut stagnationes & obstruc-  
tiones & alia mala, quæ ab obstructionibus proficiscuntur, tol-  
lunt. Summo igitur jure iis virtus stimulans, resolvens, in-  
cidens, abstergens, & aperiens est attribuenda, omnesque  
paulo ante memoratos effectus non in primis solum viis sed  
in tota etiam massa fluidorum producunt; nihil enim ad  
eam aditum iis præcludere potest. Vi virtutis laxantis, quæ  
itidem eorum virtute resolvente & stimulante nititur, cruda,  
lenta, spissa, tenacia in primis viis & humorum massa hæ-  
rentia resolvunt & resoluta e corpore eliminant, omnibus  
que medentur malis, quæ a viscido suam trahunt originem,  
qualia sunt nausea, appetitus prostratus, diarrhoeæ, dige-  
stio læsa &c. Denique cum secretiones atque excretiones  
augeant impeditasque restituant, partes noxias atque inuti-  
les in fluidis coacervatas e corpore expellunt, quæ exinde  
nascuntur, damna & mala innumera removent atque in  
omnibus iis profundunt morbis, in quibus secretiones non rite  
& legitime succedunt.

### §. XII.

Omnis febres intermitentes, præsertim vero quoti-  
diana & quartana, a massæ humorum visciditate & tenacita-  
te proficii demonstravi in meo tentamine systematis de  
febribus germanico idiomate edito. Indicationes in earum  
curatione formandæ requirunt, ut humores viscidi & tenaces  
resolvantur, resoluti evacuentur & viscerum & vasorum robur  
deperditum restauretur. Verum enim vero omnibus his indica-  
tionibus optime satisfaciunt salia media §. XI. Qua de re in  
omnibus febribus intermitentibus summa cum utilitate &  
maxime salutari cum effectu usurpari possunt.

Nicolai mat. med. P. IIa.

R

§. XIII.

§. XIII.

Uſus ſalium In cachexia & chlorofi partes solidae laborant atonia, mediorum in humores ſeroſi nimis abundant & viſciditate ſunt depravati, cachexia & hinc curatio quoque requirit, ut humores viſcidi & tenaces chlorofi. resolvantur feri abundantia per excretiones alvi aliasque imminuantur & partibus ſolidis majus concilietur robur. Ve- rum enim vero ſalia media haec omnia praeftant §. IX, quam ob rem in cachexia & chlorofi eorum uſus est praeftantiffi- mus.

§. XIV.

Uſus ſalium Si menſtrua diſtioni infervientia ſunt viſcida & hinc mediorum in ad aſſumtorum ſolutionem inepta atque inertia, fi cruda reliquias caſi- viſcida in primis haerent viis, appetitum proſternunt, nau- bus & affecti- ſeam & vomitum excitant, diſtioneſ laedunt, ingressum chyli in vafa laetea impediunt vel eorum & glandularum meſaraicarum obſtruções producunt, fi ventriculi atque iñteſtinorum tonus debilitatus eſt vel deſtructus, fi ſangnis viſcidus & pituitosus non libero atque expedito per abdomi- nis viſcera fertur curſu, fi ea obſtruções occupant, fi ver- mes niſulantur in primis viis, fi viſcido muco ventriculus & iñteſina ſunt obducta, fi humorum ſeroſorum & muco- ſorum congeſtio fit veſtis pulmoneſ, mucus copioſus ſpi- fuſ tenax in pectore haeret, que in atrophia, malo hypo- chondriaco, abdominis flatulentia, hydrope, ictero, afth- mate multisque aliis caſibus occurruunt, ſalia media ob egre- gias ſuas virtutes maxime conducent & ſummo fructu uſur- pari poſſunt §. XI.

§. XV.

Uſus ſalium Salia media purredini reſilere, cum veritas ſit certa at- mediorum que extra omnem dubitationem poſita, in omnibus iis caſi- contra putre- bus & morbis egregiam exferere debent virtutem, in qui- dinem, bus putredo vel adeſt vel inſtat, ut in primarum viarum cruditaribus putredine jam corruptis, ad eam proclivibus vel eam producentibus, item in humorum acrimonia alca- lina, resolutione nimia a ſaliuſ alcalicoruſ prædominio & putredine inſtaante.

§. XVI.

§. XVI.

Datur scorbuti species, quæ a nimio alimentorum sale medio abundantium vel id continentium usu oritur & salium mediorum in humorum massa prædominium agnoscit causam. In hac scorbuti specie ab usu salium mediorum abstinentum esse sana suadet ratio atque experientia. Neque conveniunt subjectis sensibilioris naturæ, levem irritationem vix perferre valentibus, ad spasmoidicas constrictiones valde proclivibus, habitu corporis strictiori & macilenteriori, fibris teneris & admodum strictis, genere nervoso maxime sensibili & facile irritabili præditis, e contrario autem magis prosunt subjectis, quorum fibrae sunt laxiores, temperies humida & frigida, temperamentum phlegmaticum, humores visciditate pituitosa sunt depravati & qui sero abundant.

§. XVII.

Salia media pro diverso scopo, cui eorum usus destinatur, diversa ratione & copia adhibentur. Si alterandi fine, ut ad viscidum resolvendum, ea usurpare placet, a drachma dimidia ad integrum sola vel cum aliis convenientibus remediis mixta præscribi solent. Si iis sufficientem alvi purgationem producere animus est, ordinario modo ad unciam unam & ab uncia una usque ad unciam unam & dimidiad quin ultra exhibentur in sufficienti aquæ quantitate soluta. Sal Sedlicense quidem ratione principiorum virtutis & modi operandi cum sale Anglicano convenit §. III. IX, multi tamen afferunt, se observasse, quod sal Sedlicense majorem in corpore exerceat actionem, & hinc paucum minori dosi purgandi fine, ut ab uncia dimidia solummodo ad drachmas sex exhibent. Intenso suo amarore molestum est & facile movet nauseam in primis sensibilioribus, qua de re, si hanc molestiam vitare volumus, ei sal Anglicum substituere possumus. Hoc quoniam tam adverso tantoque amarore, quanto sal Sedlicense non gaudet, viliiori pretio constat & easdem, quas reliqua salia media purgantia, exserit virtutes, alias omnibus præfertur & frequen-

tiori est in usu. Si placet, sal quoque mirabile Glauberi, cum quo modo dicta salia convenient, usurpari potest. Denique notandum est, quod haec salia adhibeantur vel sola vel cum aliis laxantibus ut manna, rhabarbaro, in aqua soluta vel sub alia forma.

## CAPVT XV.

DE

## MAGNESIA ALBA.

### §. I.

Praeparatio  
magnesiae  
albae.

**N**itrum praeparatur ex lixivio, quod ex materiis sale nitrato naturali repletis & additamento calcis vivae & cinerum lignorum seu cinerum clavellatorum aquae sufficiens copiae affusae beneficio paratur. His adjicitur plerumque sal commune vel fontanum vel fossile vel marinum. Ex hoc lixivio per evaporationem & crystallisationem conficitur nitrum atque ex ejus reliquiis post nitri crystallisationem & praeparationem peractam residuis, quae nullum amplius suppeditant nitrum crystalliforme & nitri mater, nitri mitra, in officinis nitrariis Mutterlauge, Hecklauge, Salpetermutter vocantur, usque ad siccitatem evaporando, evaporatum calcinando, calcinatum edulcorando, atque edulcoratum exsiccando praeparatur magnesia alba. Hoc a nitri præparatione & crystallisatione residuum lixivium constat, ut ex paulo ante dictis apparet, ex terra calcarea, maximam, reliquam vero ejus partem salis alcalici fixi, spiritus nitri & salis, nitri & salis communis pauca quantitate constitue.

### §. II.

**D**e partibus lixivii a crystallisatione nitri residuum maximam quoad partem ex terra calcarea & exigua spiritus salis & nitri quantitate constare, quæ sequuntur, demonstrant experimenta. Si hoc lixivium usque ad siccitatem inspissatum cum vitriolo ex retorta destillatur, largitur aquam regis seu spiri-

spiritum compositum ex spiritu nitri & salis & utrumque hunc spiritum etiam animadvertisimus, si huic lixivio ad siccitatem inspissato affunditur oleum vitrioli: ex quo luculentter apparet, spiritum salis & nitri huic lixivio esse commixtum. Terra vero calcarea maximam ejus partem constitutens manifestatur, si cum sale alcali fixo vel volatili vel oleo vitrioli commiscetur; hoc enim facto terra calcarea fundum petit & separatur insigni in copia. Pauxillum denique ei inhaerere salis alcalici fixi, nitri & salis communis in substantia, partim ex præparatione §. I, partim vero ex eo pater, quoniam ea post peractam nitri crystallisationem manferunt materiis aliis implicita & residua.

## §. III.

Quum ex lixivio a nitri crystallisatione residuo ope evaporationis, calcinationis, edulcorationis arque exsiccationis præparetur magnesia alba §. I. II, fieri nequit, quin per has operationes huic lixivio inhaerentia ut aqua spiritus salis & nitri item nitrum & sal commune in substantia abigantur atque in auras dissipentur, ita, ut tandem nil nisi sola terra remaneat calarea, cui, si non valde calcinata fuerit, ad summum exigua acidi nitri & salis quantitas hæret immixta, quæ vero etiam diurna & vehementi calcinatione tandem afferri potest.

## §. IV.

Magnesiam albam nil nisi puram terram esse calcaream, cui admodum pauca acidi salis & nitroſi copia haeret immixta, ex §. III. haud obscure liquet & sequente experimento extra omnem ponitur dubitationem. Si enim calx vulgaris pura blando modo extincta exsiccatur, spiritu salis & nitri irroratur & calcinatur, præterea eodem, quo pro impetranda magnesia lixivium nitroſum a crystallisatione residuum inspissatum, tractatur modo, æque bona ac ex hoc lixivio obtinetur magnesia: id quod omnium clarissimum præbet documentum, magnesiam nil nisi terram esse calcaream pauxillum acidi salis & nitri in sinu suo recondentem.

R 3

§. V.

## §. V.

*Alius parandi magnesiam modus.*

Hic, quem descripsi, modus parandi magnesiam albam, est vulgaris sed restat adhuc alias isque compendiosior & quidem via humida, per præcipitationem dicti lixivii, si haec ope olei vitrioli, lixivio cinerum clavellatorum, oleo tartari per deliquium vel spiritu salis ammoniaci urinoso instituitur, sed cave, ne credas, magnesias hac ratione præcipitas cum vulgari & inter se convenire.

## §. VI.

*Characteres bonitatis magnesiae albæ.*

Magnesiam albam his qualitatibus tanquam bonitatis characteribus oportet esse præditam, nimirum omni sapore & odore carere, colore eleganter albo præditam esse & admodum teneram.

## §. VII.

*Virtutes magnesiae albæ.*

Perlustratis iis, quæ ad magnesiae albæ indolem & naturam pertinent, iam in eo est, ut me ad ejus virtutes eruendas accingam. Quum magnesia nil nisi sit terra calcarea §. III. IV, nullas alias, quam quæ terræ calcareæ competent, possidere potest virtutes, & licet etiam aliquid acidi salis & nitrofi in sinu suo recondat, nihilominus tamen in adeo parva adest copia, ut in nullam plane veniat considerationem respectu partis calcareæ §. III. IV. Quicquid igitur in corpore humano efficit, id præstat potissimum & solum vi terræ calcareæ quæ acidum præsens absorbet, infringit, iners reddit atque in mixtum terreum salinæ mediæ indolis abit, quod resolvit & stimulat & hanc ob causam purgantem diaphoreticum & diureticum exferere potest effectum §. CCCXLVIII. Sect. VI. Part. I. & §. XXV. XXVI. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. Verum enim vero, qui considerat, alia medicamenta terrea, præfertim usta & calcinata, ut cornu cervi, lapides concrорum, conchas, eosdem, quos magnesia alba, producere effectus, dum æque acidum absorbent atque cum eo in mixtum abeunt terreum salinæ mediæ indolis, facile perspiciet, hæc magnesiae albæ vel palam præripere val saltim eam reddere dubiam.

## §. VIII.

§. VIII.

Quamvis magnesia virtutes possideat satis modicas nec Hoffmanni præ aliis terreis singulares §. VII, nihilominus tamen non sententia de desunt, qui ejus virtutes magnis extollunt laudibus, atque <sup>virtute mag-</sup> experientiæ est committendum, num hæc illis respondeat. <sup>nesiae albæ.</sup>

In primis ILLUSTRIS b. m. HOFFMANNUS eam maxime commendat, uti ejus observationes chemicæ Lib. II. obs. II. luculenter ostendunt. Constat, inquit ibidem, pulverem magnesiacum ad unam vel duas drachmas cum quovis vehiculo sumtum potenter satis exercere alvum, in quibusdam quinque vel sex sedes movendo, quum in aliis eadem dosi exhibitus nihil præter conatum egerendi efficiat. Cujus diversi effectus ratio ex iis, quæ modo dicta sunt, haud obscure apparet: luculenter nimirum hinc perspicitur, hunc pulverem terreum minime in se recondere principium quoddam catharticum, quale præter salinum penetrans acre ego quidem non aliud agnosco sed demum in ipso corpore pro dispositiōne humorum ibi hospitantium virtutem ejus resultare purgantem, quia nempe, si offendit humores acidos in cavitate ventriculi & intestinorum, in sal neutrum demigrat acris salini saporis & stimulantis effectus, quemadmodum videmus manifesto, sal valde acre exsurgere, si hæc medicina cum spiritu acido v. g. vitrioli misceatur. Salia vero media, quæ saporis amaricantis sunt, liberalius data alvum ad aliquot sedes sollicitare, experientia confirmarum habemus idque etiam a nobis latius deductum est in dissertatione de salium mediorum excellente & purgante virtute. Non itaque mirum est, interdum hunc pulverem carere effectu cathartico, si videlicet prima regio non acidi copia sed pituita viscida scatet, quæ impedit, quo minus solvi & in sal stimulans converti possit. In eodem libro sed alio loco, scribit porro laudatus Autor de magnesia: non tantum absorbentem & catharticam, si acidum prima in regione stabulatur, virtutem exserit, verum etiam si in remissori dosi ad grana quindecim vel viginti usurpatur, diaphoreticum & diureticum effectum sequi, non semel observavimus. Neque tamen, pergit, præteri-

re

re possumus, id incommodi nos quandoque ab hoc magnesiæ pulvere deprehendisse, quod flatulentias & morsications in imo ventre reliquerit, si videlicet frequentis in usum trahatur primaque regio progignendis corrosivis succis, ut in hypochondriacis fieri solet, exposita sit. Commodissimum, quocum sumitur, vehiculum lac est amygdalinum, quod deliniendæ humorum in ventriculo stagnantium acrimoniæ simul inservit. Haec tenus Hoffmannus.

CAPVT XVI.  
DE  
TVRPETHO VEGETABILI.

§. I.

Turpethum  
officinarum  
quid sit.

**T**URBITH, TURPETHUM VEGETABILE, quod in nostris prostat officinis & vegetabile nominatur ad differentiam turpethi mineralis, quod ex mercurio præparatur, est radix exsiccata, oblonga, crassa, extrinsecus cinerea seu ferruginea, intrinsecus albescens, in frusta oblonga dissecta, saporis primo subdulcis postea subacris amari & nauseosi. In nonnullis officinis sub nomine turpethi vegetabilis cortex seu pars exterior tantum hujus radicis prostat.

§. II.

Cajusnam  
plantæ radix  
ctor Horti Medici Lugdunensis, qui ipse in Indiam profectus fuit, omnium optime ostendit, plantam, cuius radix est descripta §. I, esse convolvulum Indicum eumque alatum maximum foliis ibisci nominat, quoniam folia ibisco sunt similia alasque repræsentant. Nascitur frequens in locis uodus opacis humidis, ad fossarum margines, retro hortorum sepes, aliisque sylvestribus a mari non longe distitis, in Zeylan & Malabara.

Colliguntur in usum medicum non caules, ut perhibet Garcias, sed radices crassiores turgentes lacte. Quæ ad nos transmittuntur, radices fodiuntur in Guzarata, ubi earum pro-

proventus abundat. Tota planta lacte turget concrecente in substantiam resinosa & gummosam, floremque carneum & laevem habet instar convolvuli, quo evanido in folliculis suis quatuor nigra profert grana secundum dimidium rotunda ac magnitudine piper aequantia. Vario longoque reptatu ad tria quatuorve cubitalia descendit radix, pollicem & amplius crassa, lignosa, in aliquot ramos divisa, crasso fuscoque cortice testa, qui ruptus stillat succum lacteum glutinosum in pallide flavescentem resinosa & gummosam substantiam illico concrecentem.

§. III.

Ad usum medicum eligenda est radix recens, gummo-  
so-resinosa, fractu contumax, foris fusca vel cinerea, intus bonitatis  
albescens, plana, non rugosa, substantia interior lignosa turpethi.  
privata, non cariosa neque extrinsecus gummi vel resina ob-  
ducta, saporem exhibens primo subdulcem deinde subacrem  
amarum nauseosum, gravis & ponderosa. Solent lucri cu-  
pidi & ad fraudem acuti eam gummi vel resina extrinsecus  
obducere, ut magis gummosa & resinosa appareat, con-  
torqueri etiam solet, ut magis resinosa videatur. Improb-  
atur levis, cariosa, cuius superficies externa resinoso vel  
gummoso succo est oblita. Sæpius quoque per eam substanzia  
resinosa adeo inæqualiter est distributa, ut satis notabiles  
ejus portiones nihil omnino resinoso contineant, ceteris  
abundantius illa refertis, unde sine dubio venit, ut sæpius hujus  
radicis effectus spei atque expectationi non respondeat &  
anceps deprehendatur, quam ob causam eo quoque est re-  
spiciendum, ut ejusmodi frusta hujus radicis ad usum seli-  
gantur, quæ sufficienti resinæ copia prædicta sunt. Porro  
Materialistæ duplex vendendum exponunt turperhum,  
unum bonum, legitimum, alterum medium, ut in Dom.  
Bansæ Catalogo simplicium videri potest. Prius est ista radix,  
quam paulo ante descripsi, alterum nihil aliud est, quam  
quarundum plantarum radices, quales sunt *Laserpitium* fo-  
liis latioribus lobatis *Moris*. *Umbellif.* quæ *Thapsia Officin.*  
*Nicolai mat. med. P. II da.* S Ap-

Apium Pyrenaicum Thapsiae facie & Thapsia sive turbithi Garganicum semine latissimo I. B. Sed rejiciendae sunt hæ radices, utpote quæ summa infestæ sunt acrimonia, ita, ut partes, in quas agunt, adurant atque inflamment & cum violentia & summo periculo purgent. Quomodo vero hæc fraus sit detegenda atque turpethum genuinum a radice thapsiae sit distinguendum, POMETUS ostendit in *Histoire des Drogues Livre premier* 59. Genuinum turpethum extrinsecus fuscum seu ex rubro cinereum & planum est, intrinsecus vero albidum gryseum, grave, ponderosum, ac tenax est, ut non facile possit diffringi, thapsiae contra radix est levis, rugosa, extrinsecus coloris argentei tantæque acrimoniae, ut linguae acrem atque urentem saporem imprimat, præfertim recens, ejusque succi vapor faciem contingens tumorem atque inflammationem ejus excitet.

## §. IV.

*De partibus  
constitutivis  
& virtute  
turpethi.*

Extractiones, quæ ope aquæ & spiritus vini cum turpetho vegetabili instituuntur, patefaciunt, illud ex gummosis, saponaceis fixioribus & resinosis constare partibus, ita, ut utræque priores has copia longe quidem, non vero virtute superent. Purgantem virtutem possidet & humores viscidos & tenaces resolventem, adeo, ut medicis in proverbium abierit: quicquid agaricus non attingit, turpethum promovet, &, quod turpethum negligit, colocynthis attingit. Vermes quoque potenter enecat & expellit, ut post mercurium nihil fortius exturbare vermes credant, quam exinde præparatas species diaturbith cum rhabaro, ut apud D. Ettmüllerum in *Comment. Schröd. p. 755.* fusius legimus. Potentius in serum viscidamque lympham quam jalappa agere atque in podagra & arthritide præ aliis conducere prohibetur, rationes vero, quibus id probatur, me latent & mihi saltem nihil singulariter præ aliis purgantibus possidere videtur. Virtutem ejus purgantem potissimum in ejus resina hærere, ex eo patet, quoniam hæc ad scrupulum dimidium data satis fortem excitat alvi purgationem,

nem, reliquæ vero ejus partes tantam non producunt.  
Externe ejus naribus admotus sternutationem excitat, quod  
cum reliquis purgantibus habet commune.

§. V:

Radix in substantia exhibetur a granis quindecim usque De usu &  
ad drachmam unam, in infuso vero a drachma integra & modo exhibi-  
dimidia ad tres. Multorum accusatur vitiorum, quod tor-  
mina exciter, ventriculum laedat, deses sit & admodum  
tarde suam absolvat operationem ejusque effectus dubius sit  
atque anceps, sed omnia haec vitia cauto selectu genuinæ  
radicis & additamento aliorum convehientium remediorum  
facile emendari posse mihi persuadeo, nihilominus tamen  
raro hodie adhiberi solet tum sola tum cum aliis mixta. Ita  
potest praescribi

Recipe turbith vegetab. opt. & resinosi scrupulum  
unum

salis tartari grano octo

ol. de cedro gutt. sex

M. f. pulvis pro dosi adultis exhibendus.

Recipe turpethi opt. & resin. drachmas duas

fol. fennæ drachmam unam

cinnamoni scrupulum unum

vini generosi uncias quatuor

Infundatur per noctem & colatura capiatur.

§. VI.

Quæ præparantur ex turpetho, sunt resina, extractum Praeparata  
& species diaturbith cum rhabarbaro. Resina a scrupulo ex turpetho.  
dimidio usque ad grana quindecim, extractum vinosum a  
scrupulo uno ad grana triginta exhibetur pro dosi. Species  
diaturbith cum rhabarbaro, quæ antiquis commendatissimæ  
erant ad vermes exturbandos, fere semper cum sufficienti  
facchari quantitate in morsulos rediguntur & adversus ver-  
mes summo cum fructu propinantur. En! bonam formu-  
lam:

Recipe pulveris sem. contra vermes  
 species diaturbith cum rhabarb. ana drach-  
 mam unam  
 mercurii dulcis scrupulum dimidium  
 olei destill. anisi guttas tres  
 syrup. de cichor. cum rhabarb. drachmas duas  
 facchar. rosat. q. f.

**M. f.** Morsuli numero tres, quorum unus adulto  
 & tertia vel dimidia pars unius infantibus &  
 pueris pro dosi exhibeatur.

Wedelius species diaturbith ventriculo noxias atque inimi-  
 cas esse asserit in Amoenitatibus Materiae Medicæ. Extracti  
 gummosi vis purgans minor est quam resinosi; hujus enim  
 grana quindecim, gummosi vero grana triginta ad purga-  
 tionem efficiendam requiruntur. Præterea occurrit adhuc  
 hodie Electuarium diaphoenicon. Convenit ad pituitam  
 & humores serosos evacuandos in hydrope, affectibus so-  
 porosis, apoplexia, serosa præsertim, menses quoquæ pellit.  
 Dosis est a drachma dimidia ad integrum usque. Una dra-  
 chma continet grana sex turpethi vegetabilis & diagrydii  
 grana duo cum quarta parte grani. In Gallia adhuc viget  
 ejus usus internus, alias in clysteribus ad unciam integrum  
 vel integrum & dimidiatum adhibetur.

CAPVT XVII.  
 DE  
 M E C H O A C A N N A.

§. I.

**M**ECHOACANNA officinarum est radix levis, magna, cor-  
 na quid sit, tice rugoso tecta, substantia molliuscula, in qua vix  
 ulla appetet fibra, per totam substantiam circulis notata,  
 coloris intrinsecus albicans aut ex albido-flavescentis, ex-  
 trinsecus grysei, odoris & saporis nullius singularis, si ab  
 hoc discesseris, quod diutius mandicata aliquam acredi-  
 nem

nem & ardoris sensum linguæ imprimat. Aequa, ac radix jalappæ, non integra, sed in taleolas frusta oblonga vel rotundos multisque circulis notatos orbiculos primum interne externeque prorsus albicantes, cum tempore vero cinerosos evadentes dissecta ac paululum tosta ad nos adfertur.

§. II.

Nomen accepit haec radix ab ea Americæ Meridionali Radicis humilis provincia Mechoacan dicta, ubi primum ab Hispanis jus variae fuit reperta. Non vero ex hac solum regione Americae denominata Meridionalis provincia sed ex aliis etiam ejusdem Americae regionibus, ut ex Nicaragua, Quito, Brasilia & aliis afferuntur. Dicitur etiam MECHOACANNA ALBA ad differentiam mechoacannæ nigræ, quæ est jalappa, RHABARBARUM ALBUM, MECHOACANNA PERUVIANA, BRYONIA AMERICANA item SCAMMONIUM AMERICANUM.

§. III.

Planta a Tournefortio & Casp. Bauhino ad bryonias De plantas refertur sed perperam, est potius convolvuli Americani species, quæ convolvulus Americanus Mechoacan Raji Histor. 723. Jeticu Brasiliensibus nuncupatur. Radix pedis longitudinem æquat, valde crassæ, ut plurimum bifida, exterius obscure cinerea seu fusca, interius alba, lactescens, resina: caules profert farmentosos, scandentes, multangulares, etiam lactescentes, cum foliis solitarie positis, teneris, sature viridibus, inodoris, cordis figuram exhibentibus, modo auriculatis, modo sine auriculis, unum duos tres vel quatuor digitos longis, inferius nervo & venis distinctis. Floribus ornatur monopetalis, campaniformibus, dilute incarnatis, intus purpureis. Pistillum abit in capsulam, in qua continentur semina nigricantia, pisi magnitudine, triangula & compressa. Radix verno tempore a Brasiliensibus collecta atque in taleolos modo circulares, modo oblongas dissecatur, qui filo trajecto suspensi exsiccantur.

S 3

§. IV.

## §. IV.

*De bonitatis characteribus mechoacanis.* Bonæ indolis & usui medico apta mechoacanna debet esse recens, densa, compacta, gravis, ponderosa, albida non cariosa, non fractu facilis, non frustis radicis bryoniæ mixta, neque sapore manifesto prædita. Rejicienda est vetusta, cariosa, nigra, levis, fractu facilis & frustula radicis bryoniæ intermixta habens, quæ ab illa discernitur, quod sapore gaudeat amaro nauseoso & viroso, quo illa caret, ex candido rufescat, radiatim quasi corrugata minus compacta & magis fungosæ sit, pauciores etiam magisque distantes habeat circulos. SCHROEDERUS mechoacannam duplicitis esse generis autumat, unamque, quæ in insula Mechoacan provenit, viliorem & debiliorem altera Nicaraguæ incola pronuntiat, sed, quicquid sit, optima est & manet illa mechoacanna, quæ interne externeque albicat, ex elegantibus magnis vereque exsiccatis orbiculis constat, qui, quo sunt graviores, eo sunt meliores, quæ omnis fere saporis expers est: quo ipso facile dignoscitur, num radice bryoniæ adulterata sit, & quæ reliquas bonitatis notas paulo ante memoratas possidet,

## §. V.

*Partes mechoacanæ constitutivæ.* Examinis chemici beneficio in mechoacanna nihil nisi partes gummosas, saponaceas fixiores resinosas & terrestres, ita, ut partes gummosæ & saponaceæ fixiores maximam ejus constituent partem, deprehendere licet. Eadem confirmat Excellentissimi Cartheueri analysis chemica, quæ ita se habet: Præter terram subtilem albicantem ac quasi farinaceam paucissimam, inquit in Fundament. Materiæ Medic. Parte I. Sect. X. Cap. VI. §. VIII., sat largam substantiam gummeo-salinam, cui purgandi virtus unice propemodum in acceptis ferenda est, continet. In uncia una tres circiter drachmæ principii gummosi & dimidijs duntaxat scrupulus principii resinosi hærent. Intelligenda hæc ipsa sunt de radice recentiori, compacta atque integra: quod vetustam enim, cariosam, ac nimis levem attinet, illa virtute longe est

est inferior & dimidia fere principii activi parte spoliata deprehenditur. Infusum aquosum primum ex flavo-brunnum est, nonnihil turbidum, odoris & saporis nauseosi ac paululum in recessu subacris. Sub evaporatione constanter vaporem nauseosum emittit, &, peracta inspissatione, extractum obscure brunnum, debili odore ingrato & subtili sapore acri salivationem excitante atque debilitatum pyrethri saporem aemulante donatum reliquit. Infusum primum perfecta pelluciditate & dilute aurea flavedine gaudet ac linguae minorem, quam aquosum, acredinem imprimet. Extractum inde evaporando paratum subflavum est, odoris debilis quodammodo nauseosi & saporis subacris, ita tamen, ut a credo post moram aliquam sensibilior longe atque auctior evadat. Hæc radix sub destillatione sicca, quæ plane impeta est ad partes ejus proximas detegendas, nihil singulare ostendit, si ab hoc discesseris, quod plerumque plus liquoris acidi, minus vero olei, quam jalappa, largiatur.

### §. VI.

Refertur mechoacanna ad tutiora & leniora laxantia. Mechoacanæ virtutes Statim ab ejus inventione remedium purgantium præstantissimum fuit prædicata multisque laudibus celebrata, ab eo vero tempore, quo jalappa innotuit, quæ minori dosi efficacior est, multum de fama & nomine suo perdidit, ita, ut hodie fere non amplius usurpetur. Leniter, benigne & sine molestia purgat nec indiget corrigente sed potius adjuvante & in pulvere exhibita non alvum solum blande movet sed acidum etiam primarum viarum vi terræ suæ subtilis teneræ farinaceæ absorbet & destruit. Nimis mitis & tarda operatio neque minus magna, quæ est exhibenda, ut debitam & sufficientem exserat efficaciam, dosis ei improbantur atque in causa sunt, ut minus frequenter hodie adhibetur eique jalappa vel alia ad usum præferantur, nihilominus tamen ob temperatam, minus nauseosam, inodoram atque insipidam indolem, operationem lenem & mitem, & vim acidum absorben-

forbentem summō cum fructu infantibus, pueris, debilibus, & ubicunque leni alvi evacuatione opus est & determinatae indolis laxans requiritur, exhiberi potest. Ad laxandos infantes usus ejus est crebrior, obiam adductas rationes, proptereaque pulibus aliisque cibis potest permisceri, exhibendo pro ætatis ratione a granis tribus & quatuor usque ad scrupulum dimidium vel integrum, adultis dari potest a drachma dimidia usque ad duas, si doseos moles nimia id non impedit vel dissuadet. In decocto non datur, quoniam experientia compertum est, coctione vim ejus perire, unde simul patet, virtutem ejus purgantem a substantia salina volatili dependere. Porro eo respiciendum est, ut ad usum eligatur recens & reliquis bonitatis characteribus §. IV. praedita, si non spe & expectatione frustrari debet; vetustate enim corrupta nullum vel exiguum edit effectum & trienium vix perdurare ejus efficaciam asserunt. In infuso vinoso vel aquoso ad drachmas duas, tres & ultra adhibetur sed rarissime. Multi eam pluribus majoribusque extollunt laudibus & catarrhosis frigidisque affectionibus convenire, hepatis, lienis & mesenterii obstructiones reserare, arthriticis præcipue & hydropicis ea nec utilius nec mitius catharticum exhiberi posse asserunt. Hoc certum est, eam admodum lene, mite & temperatum esse purgans, omnibus egregiis dotibus & virtutibus exornatum, quibus leniora purgantia se commendant, nullisque qualitatibus noxiis, quæ purgantibus draſticis propriæ sunt, infestum & præcipue infantibus in lactis grumescantia, aliisque, quæ a lacte congrumato, acidi prædominio, cruditatibusque acidis oriuntur, malis, in primis flatulentia, cardialgia flatulenta, alvi obſtructione & id genus alis affectionibus maxime conducere. Commode præterea cum aliis resolventibus, &, si fortior desideratur effectus, cum stimulantibus misceri vel cum aliis pro circumstantiarum ratione combinari & exhiberi potest.

Recipe mechoacannæ scrupulum unum  
tartari vitriolati scrupulum dimidium  
ref. jalapp. præp. grana quatuor

M. f.

M. f. pulvis adultis pro una dosi exhibendus. Loco tartari vitriolati tartarus tartarisatus vel sal tartari pro circumstantiarum ratione eligi potest.

Recipe mechoacannæ scrupulum unum  
iridis Florentinæ scrupulum dimidium  
falis tartari grana sex  
ol. anisi guttulas duas

M. f. pulvis infantibus & lactantibus, si lac ad coagulationem est nimis pronum & mala ex lacte coagulato oriuntur. Si acidum prædominatur, addi possunt absorbentia & ad virtutem resolventem augendam spermatis ceti aliquot grana.

Si sub infusi forma exhibere placet, infundantur drachmæ duæ pulveris cum vini generosi vel aquæ sufficienti quantitate & infusio cum pulvere propinetur.

### §. VII.

Referente Clarissimo BOULDUC in Monumentis Academiae Regiae Scientiarum Parisiensis ann. 1711. nonnunquam ex India sub forma parvi panis præparatum quoddam affertur uncias circiter tres pendens, quod succus lacteus mechoacannæ nuncupatur & a nonnullis succus ex planta incisa effluens inspissatus virtute purgante instructus nec inutilis judicatur, sed minus recte, contrariumque ostendit præstantissimus BOULDUC l.c. Dedit enim idem oblata occasione variis subjectis purgandi fine hoc præparatum sed inutile & virtutis purgantis plane expers deprehendit. Ut igitur ejus originem atque veram indolem detegeret, mechoacannam in aqua lenissimi caloris beneficio maceravit & quidem in vase clauso, ne quid periret & aeris accessus liberior mutationem produceret, deinde maceratam & in pastam tritura redactam torculari subjecit & succum lactescensem expressit. Hic, aliquot dierum intervallo præterlapso, sedimentum albicans ad fundum dejecit, quod ficcatum prædicto succo Indico perfecte simile fuit nec ullum quo-

Nicolai mat. med. P. II da.

T

que

que æque ac succus iste edidit effectum sensibilem, ex quo patet, quod pro mera fæcula inerti atque inefficaci mechoacannæ æque ac præcedens jure meritoque sit habendum. Aqua vero ab hac facula decantata ut & extractum aquosum alvum satis bene movebant.

### §. VIII.

*Quaenam ingrediatur.* Ingreditur mechoacanna pilulas mechoacannæ Renodæi, ejusdem hydragogum eximium, electuarium hydragogum Sylviæ, extractum catholicum Francofurtense Schröderi, extractum catholicum Sennerti & syrumpum hydragogum Charas.

## CAPVT XVIII. DE B R Y O N I A.

### §. I.

*Quaenam species bryoniae sunt usi-* Sub BRYONIÆ nomine duæ plantæ specie diversæ sunt in officinis usitatæ, nimirum bryonia alba baccis rubris & bryonia alba baccis nigris. Prior dicitur BRYONIA ASPERATA five ALBA BACCIS RUBRIS CASPARI BAUHINI ET TOURNEFORTII, VITIS ALBA five BRYONIA IOANNIS BAUHINI, BRYONIA ALBA DODONÆI, BRYONIA ASPERA INCANA ALBA BACCIS RUBRIS MORISON. BRYONIA ALBA VULGARIS PARCKINSON. BRYONIA TRAGI ET GESNERI, posterior vero BRYONIA ALBA BACCIS NIGRIS CASPARI BAUHINI ET TOURNEFORTII. Nil de his utrisque plantis adhibetur in usum nisi radix & utrarumque radices convenient ratione qualitatum principiorum & virtutum eamque ob causam una æque ac altera exceptitur ad usum.

### §. II.

*Radix bryoniae-* Radix bryoniae maxime adverso odore & sapore gau-  
niae continet det ejusque odor cum opii odore convenit, saltim proxime  
ad

ad illum accedit. Si cum aqua & spiritu destillatur hæc ra- partes sapo-  
dix, aqua per alembicum in vas recipiens propulsa eodem <sup>næcas vol-</sup>  
odore, de quo paulo ante dixi, est imbuta, spiritus vero  
non item, ex quo patet, eam possidere partes saponaceas  
volatiliores §. CCLXXXVIII.

§. III.

Excellentissimus b. m. Neumannus, qui cum hac radi- Analysis che-  
mica radicis  
bryoniae.  
ce examina instituit chemica, quæ exposita sunt in ejus-  
dem chemia medica dogmatico-experimentalí a Dom. D.  
Kessel edita Vol. II. Part. I. Cap. XXVIII. §. 16, deprehen-  
dit, quod hujus radicis recentis libra una det propemo-  
dum sex uncias succi, qui interjecto aliquo temporis spatio  
albam pulverulentam substantiam ad fundum dimittit & eo-  
dem sapore odoreque maxime adverso, cuius paulo ante  
mentionem feci §. II, prædictus est. Plurimam & plus quam  
dimidiā radicis hujus partem constituant partes gummosæ.  
Duæ unciæ radicis hujus exsiccatae dederunt decem drachmas  
& grana sex extracti aquosi primi & tantum viginti tria gra-  
na extracti spirituosi secundi, ita, ut ab his duabus unciis  
quinque tantum drachmæ cum dimidia & granis duobus  
partium neque in aqua neque in spiritu solubilium remanse-  
rint. Notatu dignum est, quod, si primum menstruum  
spirituosum inflammabile ad extractionem adhibetur, plus  
residui obtineatur, siquidem hac ratione vir modo laudatus  
duas drachmas & duos scrupulos cum dimidio extracti resi-  
nosi primi, unciam tantum dimidiā & scrupulum unum  
extracti aquosi secundi, residui vero unciam unam scrupu-  
los duos & sex grana impetravit. Aqua abstracta eodem,  
quo recens succus, est imbuta odore, minori tamen. Prä-  
stantissimus Dominus Cartheuserus in Fundamentorum Ma-  
teriae Medicæ Parte I. Sect. X. Cap. VI. §. VI. scribit: radix  
bryoniae plura principia gummosa quam resinosa possidet &  
una radicis siccatae uncia circiter unciam dimidiā vel dra-  
chmas quinque substantiæ gummosæ & drachmam dimidiā  
resinosæ continet. Sub prima infusione cum spiritu vini,

T 2

per-

pergit, major quidem extracti quantitas obtinetur, at istud ob rationes alibi pridem indicatas, non mere resinum sed simul quoque gummosum est & virtus cathartica in utroque principio, magis tamen resinoso quam gummoso, quaerenda est.

#### §. IV.

*Partes con-* Si extractum bryoniae spirituosum primum iterum cum aqua  
*stitutivae ra-* extrahitur, ex parte in ea solvitur, unde constat, radicem bryo-  
*niae.* niae continere partes saponaceas fixiores §. CCLXXXVIII.

*Sect. IV. IV. Part. I.* Easdem quoque patefacit exacta atque accurata examinum chemicorum a celeberrimis viris cum hac radice institutorum §. III. consideratio. Præterea partes gummosas & resinosas, ita tamen, ut gummosæ & saponaceæ resinosas copia longe superent, huic radici inesse, manifeste liquet ex adductis experimentis §. III.

#### §. V.

*Virtutum ra-* Si virtutes radicis bryoniae eo tantum considerantur re-  
*dicis bryo-* spectu, quo ex partibus ejus constitutivis determinari pos-  
*niae determi-* sunt, nullas alias vires quam sequentes ipsi attribui posse  
*natio a prio-* examine rem perpendenti exquisitiori patebit. Possidet ni-  
*ri.* mirum haec radix vi partium saponacearum tam volatiliorum §. II, quam fixiorum §. IV, quæ magnam ejus consti-  
*tuunt partem* §. II. IV. virtutem insignem resolventem §. CCCCXCIX. Seçt. VI. Part. I. & vi partium resinosarum §. IV. stimulat resolvit & calefacit §. CCCCXCVI. Seçt. VI. Part. I. Præterea vi omnium sua-  
*rum partium*, nimirum saponacearum tam volatiliorum quam fixiorum gummosarum & resinosarum effectum pur-  
*gantem exserere potest* §. XXV. XXVI. XXVII. Cap. I. Part. II. Ad hunc enim cum nihil nisi humorum resolutio & intestinorum stimulatio requiratur §. XXI-XXVIII. Cap. I. Sect. I. Part. II. partes vero hujus radicis saponaceæ tam fixiores quam volatiliores & resinose virtute resolvente & stimulante gaudeant, luculenter exinde liquet, hanc radi-  
*cem virtutem alvum exonerandi exercere posse.* Eundem effe-

effectum pars quoque hujus radicis gummosa & resinosa vi  
visciditatis suæ, qua intestinis adhæret, producere potest  
§. XXVII. Cap. I. Sect. I. Part. II.

§. VI.

Si experientiam consulimus ad virtutes radicis bryo-  
niae a posteriori detegendas, deprehendemus, tantum ab-  
tio virtutum esse, ut experientia assertis a priori inventis §. V. repugnet,  
ut potius cum iis exakte conveniat eaque confirmet. Sic  
illustris GEOFFROY scribit: bryoniæ radix recens serum  
lentum, crassum & glutinosum potenter dissolvit, quacun-  
que in parte sit condensatum illudque evacuat per secessum  
& nonnunquam per vomitum, siccata vero debilior est &  
per inferiora solummodo purgat. Feliciter usurpatur in  
hydrope, passione hysterica, asthmate, epilepsia, vertigine,  
paralyxi, arthritide & morbis chronicis, in primis in asth-  
mate humorali, pectoris & uteri hydrope & hysterica suffoca-  
tione ab obstructionibus hujus visceris specifica audit, at vero,  
cum potens sit & acre catharticum, ejus vehementia tempe-  
rari solet a cremore tartari, sale vegetabili, aceto tum sim-  
pli tum stillatio aut aliquo pulvere aromatico & stomachico.  
Radix siccata & in pulverem redacta exhibetur a  
scrupulo uno ad drachmam unam: succus a drachma una  
ad unciam dimidiam in juscule & ex succo radicis paratur  
syrupus ad eosdem morbos efficax, si propinetur ad unciam  
unam. Refert Arnoldus de Villa-nova epilepticum cura-  
tum fuisse trium septimanarum spatio, purgando se quoti-  
die cum succo bryoniae defaecato, addito paucō saccharo.  
Sydenham maniam hac radice curari posse asserit, si debitiss  
venæ sectionibus tum ex brachiis tum ex jugularibus venis  
præmissis æger hujus radicis in pulverem redactæ drachmam  
unam cum lacte vel infusum ad unciam dimidiam in vino ter-  
tio vel quarto quoque die sumat, donec convaluerit. Ad  
passionem hysterica vel succus vel infusum cum vino præ-  
stat secundum Matthiolum, si bis vel ter in hebdomada  
usurpetur. Aqua vel succus maxime a quibusdam adversus

T 3

hydro-

hydropem commendatur, in primis si sequenti modo præparatur: primo vere radix bryoniae circa caput transversim dissecatur, pars vero reliqua terræ cohærens excavatur & superior pars resecta tanquam operculum ipsi imponitur, postero die cavitas reperitur repleta succo quodam fere laetio, qui exhibetur ad cochlear unum duo vel tria quotidie mane jejuno ventriculo quemque clementer purgare per inferiora, hydropticorum aquas subducere viscerumque obstrunctiones tollere afferunt, sed dubito, num hic tali modo præparatus succus alii alio modo præparato multum sit anteponendus.

## §. VII.

**Observatio-** Nonnulli contendunt, quod radix hæc colligenda tem-  
**nus aliorum** pore verno incidat, attenuet, menses & urinam moveat,  
**de virtate** splenetica, hepatica, uterina sit & foetum pellat. A qui-  
**hujus radicis.** busdam adversus venena animaliaque venenata commenda-  
tum Valeat adversus epilepsiam, ut aliqui volunt, experien-  
tia nondum evictum esse putant. Nonnulli in arthritide  
podagra & malo ischiadicō tum externe tum interne laudant  
bryoniam, ita, ut hanc ob causam appelletur quoque  
Gichtwurtzel. Affricatur recens evulsa e terra locis arthri-  
tide affectis terræque rursus committitur, ut more sibi a na-  
tura insito in ea crescere pergit. Non desunt, qui  
illam contra maleficia & fascinationes prodesse credunt. Vis  
ejus resolvens maximis extollit laudibus innumerisque  
confirmatur testimoniis, ita, ut in tumoribus duris & scro-  
phulis fugillationibus, contusionibus, & obstructionibus  
tum recentibus tum inverteratis, resolvendis & discutiendis  
nihil ea sit præstantius & Zacutus Lusitanus cum juramento  
affirmet, scrophulas per unguentum ex bryoniae radice con-  
ficiendum sanari vel discussione vel suppuratione. Unguen-  
tum ita habet:

Recipe radicis bryoniae albæ, quæ sit magna,  
bene nutrita & succosa, libram dimidi-  
am, in taleolas sectam frige in sarta-  
gine,

gine, quo usque contabescat, cola, adde rebinthinæ libram dimidiā, ceræ uncias quinque & conficiatur unguentum, quod mane & vesperi strumis applicandum easque vel resolvere vel ad suppurationem deducere dicuntur.

Radix recens contusa & rēnum regioni applicata vel sola vel cum stercore vaccino urinam pellere & hydropem sanare perhibetur a Rajo & Tachenius refert, dolorem ischiadicum ope hujus radicis recenter tufæ cum oleo lini mixtæ & tepide applicatæ mirum in modum placari. Turiones & baccæ alvum vehementer movent & ventriculum atque intestina laedunt, rariusque veniunt in usum. Plantis pedum œdematosorum eam recentem apponunt, cum summo, ut ajunt, fructu. Pessarium ex ea confectionum menses & foetum pellere scribunt & sunt, qui ad maculas faciei delendas eique pulcritudinem & nitorem conciliandum radicem sub cineribus coctam contusamque applicant vel ejus decocto cum ficuum decocto utuntur. Adversus multas quoque variasque dolorum species, quarum quasdam jam adduxi, commendatur & hinc non mirum est, eam etiam adversus lateris dolores maxime laudari, & hunc in finem in taleolas dissectam vel sequens oleum exinde paratum lateri dolenti applicari:

Recipe radicis bryoniae remoto cortice in frusta dissectæ olei olivarum ana libram unam coque tamdiu ad ignem lentum, donec radix exsiccata fuerit, postea exime ex oleo frusta & aliquoties ferrum ignitum extingue, observando, ut, quam primum oleum flammarum conceperit, illa mediante operculo suffocetur. Serva in vase clauso hoc oleum, quod externe egregium antipleuriticum esse dicitur.

§. VIII.

Noli putare, me omnia, quæ allegavi §. VI. VII, de Quid statutis virtutibus bryoniae auctorum testimonia habere vera, multa endum sit de adductis obviden-

ſervationi-  
bus & quo-  
modo a prio-  
ri & poſte-  
riori viris  
bryoniae ſint  
determinan-  
dae.

widentur mihi dubia incerta atque exquisitiori indigere exami-  
ne, quædam propius ad veritatem accedere, alia veritati maxi-  
me consentanea atque extra omne dubium poſita, nonnulla  
vero efficta & falsa. Generatim notandum eft, quod, fi qua  
virtus de medicamento prædicatur, quæ ex partibus ejus  
conſtitutivis deduci nequit, nullo nitatur fundamento, fi ea-  
dem non manifesto experientiæ testimonio demonstratur,  
e contrario autem virtus medicamenti, quæ ex partibus ejus  
conſtitutivis derivari vel per experientiam comprobari  
potest, certa vera & genuina ſit habenda. Applicentur di-  
cta ad radicem bryoniae nec difficile erit, hac ratione  
genuinas & veras ejus virtutes invenire. Ex partibus ejus  
conſtitutivis apparet, inſignem ei competere virtutem re-  
ſolventem §. V. & eandem comprobat & conſirmat expe-  
rientialia §. VI. VI. Vi hujus virtutis maxime resolventis  
vifcidos & tenaces humores reſolvere, obſtructiones viſce-  
rum aliarumque partium reſerare, excretiones urinæ præ-  
ſertim & alvi augere & tumores diſcutere potest, que omnia  
revera ita ſe habere, experientia, optima rerum magi-  
ſtra, docet §. VI. VII. Ex his ſimil clarius eluceſcit, hanc ra-  
dicem in iſtis affectibus, qui ab humorum feroſorum abun-  
dantia viſciditate viſcerumque obſtructionibus oriuntur, cu-  
jus generis ſunt cachexia, hydrops, asthma pituitosum,  
conducere, cur ab auctoribus virtus ejus reſolvens & diſcu-  
tiens tot tantisque cœlebretur laudibus, ut eam tumoribus duris  
aliorum remediorum reſolventium vim eludentibus & ſtru-  
mis reſolvendis parem & ſufficientem exiſtimari, quod do-  
lores, qui & quatenus ab humorum viſciditate & obſtructio-  
nibus proficiſcuntur, mitigate poſſit & cur ipſi tanta virtus  
anodyna adſcribatur §. VI. VII. Alia vero præterea ratione  
eam dolores ſedare mihi perſuadeo. Cum enim ejus ſapor  
& præcipue odor cum opii ſapore & odore conveniat &  
æque ac hoc partes poſſideat ſaponaceas volatiliores §. II.  
hujus capitis & §. CCLXXXIX. Sect. IV. Part. I, instar opii  
agere & eodem, quo hoc, modo dolores mitigate  
debet.

§. IX.

§. IX.

Purgans hujus radicis virtus non in partibus solum Continuatio  
eius constitutivis est fundata sed per experientiam etiam sa, rei antece-  
tis probata §. V. VI. Cum igitur serum per alvum urinam  
& non unquam per vomitum evacuet §. V. VI. humores  
viscidos tenaces resolvat viscerumque obstrunctiones referet  
§. VIII, in hydrope & asthmate, quorum curatio ad modo  
dicta obtainenda est dirigenda, magnam exsiccere debet  
efficaciam.

§. X.

In iis, que §. VIII. IX. de virtutibus radicis bryoniae Consensus  
demonstravi, viros de materia medica optime meritos, autorum  
PAULUM HERMANNUM & CARTHEUSERUM, habeo cum demon-  
sentientes. Ille in Cynosura materiae medicae a  
Dom. Boeclero editae Parte I. Cap. I. pag. 141. in-  
quit: Radix bryoniae recens & vegetativo suo succo adhuc  
turgida validior est quam siccata, haec serum & aquas magis  
per inferiora, illa vero ~~an~~ ~~an~~ potenter exterminat. Speci-  
ciale quid obtinet in sanguinis grumis dissolvendis item in  
asthmate & hydrope pectoris, in hydrope uteri ut & ob in-  
signem amaritatem in vermbus. Sicca infusis diureticis  
additur pro stimulo & succus radicis a drachmis duabus ad  
unciam dimidiā exhibetur cum oxymelle contra asthma.  
Haec tenus Hermannus. Excellentissimus Cartheuserus ita  
sentit de radice bryoniae: vulgo quidem, scribit in Funda-  
mentorum Materiae Medicæ Parte I. Sect. X. Cap. VI. §. VII,  
potentioribus phlegmagogis annumeratur & specificè pariter  
infusis aquosis aut vinolis vel linctibus etiam atque electu-  
ariis addita a quibusdam ad sanguinem grumosum dissolven-  
dum, calculum pellendum nec minus contra asthma pituito-  
sum & cacheoticum, cachexiam universalem, hydropem  
abdominis pectoris atque uteri commendatur, verum cum  
in operando justo sit violentior & vehementer quandoque  
convulsiones producat, prorsus me sentiente, a purgantium  
& emeticorum numero releganda est. Externe tutius empla-

Nicolai mat. med. P. Hda.

U

fris

stris linimentis & cataplasmatibus in refractariis partium doloribus immo convulsionibus a gravi vasorum obstructione oriundis discutiendi & resolvendi scopo applicandis, itemque, quamquam rarius & dosi admodum moderata, clysteribus apud hydropicos injiciendis stimulandi fine additur.

## §. XI.

**D**e qualitate Apparet ex allegatis §. praeced. Excellentissimo Cartheusero radicem bryoniae ad usum internum minus tutum onix noxia. & securum videri remedium & interdum convulsiones alia que mala excitare. Huic celeberimus Dom. Neumannus assentitur, utpote qui in *Chemia medica dogmatico-experimentalis* a Dom. D. Kessel edita. Vol. II. Parte I. Cap. §. XXVIII. §. 13. refert, quondam, cum mechoacanna frequentissimo esset in usu & in tanta, quanta consumebatur, copia ab exteris *ad nos* adferri non posset, ei mercatores & pharmacopolas lucri cupidos substituisse radicem bryoniae sed ejus usum gravissima & periculosissima symptomata ut motus convulsivos, paralyses, sensum imminutionem, affectus soporofos, deliria, capitis & oculorum tumores, fuisse subsecuta, verum, quod probe notandum est, simul moneret, quod ad ea credenda eum conjectura tantum inducat neque ea certa vera atque indubia sed ipsi tantum verosimilia habeat. His quidem refragantur aliorum observationes §. VI, sed facile est collectu, quod radix bryoniae cum instar opii agat §. VIII, æque ac hoc gravia & periculosa symptomata excitare queat, in primis, si usus accedit imprudens.

## §. XII.

**M**odus exhibendi radi- De radice bryoniae adhibetur pulvis infusum succus vel extractum, & quæ de modo illa exhibendi nocem ejusque tanta sunt, supra passim sunt exposita hinc ea repetere nolo. In officinis asservatur fæcula extractum syrups trochisci bryoniae & alia. Fæcula bryoniae nihil aliud est quam pars succi farinacea & pulverulenta, quæ fundum vasis petit, a succo separatur, exsiccatur & denuo conteritur in pulverem,

rem. Minori gaudet efficacia quam succus & radix in substantia. Extractum, quod adhibetur ad pilulas adversus hydroponem & asthma, præparatur ex radice recente minutim concisa, si decoquitur cum vino decoctum exprimitur & colatura ad extracti consistentiam inspissatur. Syrupus de bryonia commendatur asthmaticis hydroponicis & ubi suplicamur infesta animalia intus latitare. Mesue de simplic. cap. XXV. e succo bryoniæ melle & vino paravit potionem adversus strumas.

CAPVT XIX.

DE

M A T A L I S T A.

**M**ATALISTA, seu, ut ab Indis nominatur, *BATTAGA* Matalista de PURGA est radix Americana virtute purgante in- quid sit & structa. Eam in officinis Halensibus reperire mihi non li- ejus virtus. cuit. Post jalappam innotuit ejusque species habetur, sal- tim ad eam proxime accedit, si ab hoc discesseris, quod pauciores contineat partes resinosa, siquidem uni ejus libræ una tantummodo uncia & dimidia resinae inhaereret, quod etiam in causa est, ut jalappa virtute sit inferior. Quemadmodum autem virtute jalappæ cedit, ita eadem mechoacannam superat. Vix vel plane non est apud nos in usu & rariſſime vel plane non reperitur in officinis, alias plerumque adhibetur in febribus biliosis. Planta nondum inno- tuit.

CAPVT XX.

DE

SEMINIBVS CARTHAMI SEV  
CNICI.

§. I.

**C**ARTHAMUS, CARTAMUS, CARTHAMUM, CNICUS De seminum SATIVUS, CROCUS SYLVESTRIS WILDER SAFF- carthami in- RAN SAFFLOR FLOR CARTHAM in permultis Germaniae dole & fe- U 2 nec ledu,

nec non Italiæ & Galliæ locis feritur neque exiguum exinde lucrum trahunt tam mercatores quam rustici, cum non tam in re medica quam potissimum in arte infectoria adhibeatur. Semina ad usum tantum expetuntur medicum, flores rarissime, utpote quorum usus est præcipuus ad fericum pannos & plumas colore roseo tingendas. Quidam iis crocum verum adulterare solent pauperesque loco ejusdem cibos condunt, purgare, menses pellere iæteroque mederi dicuntur. Semina carthami seu cnici sunt candida, glabra, nitida, tres lineas longa, angulosa, oblonga, sub cortice duriusculo pulpam albicantem saporis primo subdulcis postea acris & nauseosi includentia. Probantur recentia, nitentia, licet quidam non rejiciant, quæ ad rufum vergunt, medulla candida, pingui, quæ in aquam injecta fundum pertunt, rejicienda vero sunt flaccida, mucida, cariosa, rufa. Eorum medulla tantum separato & rejecto cortice in usum venit. Multæ avicule iis vescuntur sine purgatione & a quibusdam semina psittaci nuncupantur, quod psittaci illa avide & innoxie expetunt & comedunt, quin iis pinguefcunt, alvi purgatione non subsequente.

## §. II.

*De virtute  
& usu semi-  
num cartha-  
mi.*

Ab omni ævo semina carthami a medicis inter purgantia fuerunt relata, hac tamen cum differentia, ut nonnulli eam tardioris alii contra vehementioris accusent operacionis. Porro iis diureticam, aquam & pituitam e corpore educentem, humores lentoſ & tenaces resolventem attenuantem & eliminantem, deinde in pectoris affectibus, præcipue asthmate & tussi, item in hydrope, anasarca, colica flatulenta iætero & quartana maxime proficiam virtutem permulti attribuunt, immo cathartice ejus virtuti addunt nonnulli emeticam. Exhibit ea vel in substantia vel in emulsionibus vel infusis & decoctis purgantibus addunt. Qui ea in substantia exhibent, medullæ a cortice liberatae drachmam unam vel duas offerunt, in emulsionibus autem expressionem ex drachmis sex vel uncia integra semi-

seminum mundatorum contusorum in liquore aquo convenienti exhibent & hoc modo frequentissime propinare solent. Nonnulli ex iis parant elexir purgans citratum non contemnendae efficaciam ad hanc compositionem:

Recipe radicis jalappae unciam unam  
seminis carthami unciam dimidiam  
gummi guttae  
scammoniae ana scrupulum unum  
præparatur ex his ope essentiæ corticum aurantio-elexir, de quo pro dosi drachma una in syrupo de cichoreo cum rhabarbaro vel rosarum solutivo exhibeatur.

Reprehenditur in his seminibus, quod stomacho adversentur, fastidiosa sint & viscera turbent, præsertim, si in substantia exhibeantur, quapropter etiam raro adhibentur, sed haec vitia additamento aliorum convenientium facile corrigi possunt & segnities, si quam possident, valentiora medicamenta conjungendo emendari potest.

Recipe sem. carthami excortic. unciam dimidiam  
contunde in mortario & affunde sensim aquæ communis uncias tres. Fiat emulsio, cui adde elæosacchari cinnamomi seu de cedro q. s.

### §. III.

Carthami semina ingrediuntur electuarium diacarthami, Præparata ex cui nomen dederunt. Rarius usurpatur. Porro officinæ ex-seminibus tractum cnicopharmacum seu diacarthami, quod non con- carthami. cinnum est & usū excidit, exhibit.

## CAPVT XXI.

DE

## HERMODACTYLO.

### §. I.

**H**ermodactylus est colchici orientalis, quod colchicum Hermoda- radice siccata alba C. B. Pin. 67. seu colchicum minus stylus quid malignum dicitur, radix avellanæ magnitudine, oblonge fit ejusque rotun- characteres.

rotunda, ex uno latere compressa, ex altero tuberosa, cordis figuram referens & in mucronem definens cum sulco a basi ad mucronem in parte gibbosa excavato, extrinsecus albida, intrinsecus vero magis candida, dura, odoris nullius, saporis, si recens, acerrimi, si annosa vero, farinacei paullum viscosi vel lenti subdulcis cum levissima acrimonia. Non nisi siccatus apud nos habetur. Optimus est, qui magnus, perfectus, crassus, corpulentus, ponderosus, compactus, albus, non carie exesus, non vetustus sed recens, probe tamen exsiccatus est. Notae bonitatis hermodactyli sequenti disticho comprehenduntur:

Laus tibi de jure datur Hermodactyle dure

Ac solidus si sis, albi cui signa coloris.

*Nigredo* arque rubedo ut & caries maxime in hermodactylis vituperatur. A nonnullis, in primis Pomero, habetur haec radix pro fructu sed perperam, est nihil aliud est quam radix tuberosa tunicis denudata, qualis delitescit sub tunicis colchici communis, a cuius radice distinguitur tantum sapore consistentia colore & duritie; haec enim est mollior, rugosa rufescens vel subnigra extrinsecus & intrinsecus, quibus signis haec radices facile a se invicem distingui possunt. Idem confirmat TURNEFORTIUS, qui hermodactyli plantam in Asia minori cum foliis & fructibus colchici saepius se reperiisse asserit, ut nullus supersit dubitandi locus, quin hermodactylus sit radix cuiusdam colchici orientalis, quod dicitur Colchicum radice siccata alba C. B. Pin. Sola pars radicis interior ex Oriente ad nos adfertur tunicis suis spoliata & derafa.

## §. II.

Partes constitutivae &  
virtutes hermodactyli.

Locum obtinuit hermodactylus inter purgantia & vim purgantem in acceptis refert substantiae volatile, id quod ex eo pater, quoniam vis ejus purgans vetustate & coetione perit. Praeterea ostendunt examina chemica, hermodactylum constare ex partibus gummosis & resinosis, & notatum dignum est, quod, si primum hermodactylis aqua affunditur

tur & cum affusa aqua calor aquæ ebullientis exponuntur, pars eorum resinosa cum gummosa parte in novum abeat mixtum, quod nec gummosæ nec resinosæ parti simile est, & hoc etiam in causa est, ut semper ex hermodactylis, si primum cum aqua digerantur, minor partis resinosæ & gummosæ quantitas obtineatur, quam, si extractio prima ope spiritus vini instituitur. Parrem vero resinosam & gummosam vi visciditatis suæ & speciatim partim resinosam virtute sua stimulante & resolvente purgationem producere posse ex §. CCCCXCVII. Sect. VI. Part. I. & §. XXV. XXVI. XXVII. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. haud obscure liquet, actu autem hermodactylis competere virtutem purgantem experientia docet, iisque, si recentes sunt, vomitum & alvum movere dicuntur. In Aegypto adhibentur a feminis emaciatis in nutrimentum & in oriente dantur recentes ad drachmam dimidiā cum Zingiberis drachma dimidia, quod eam ob causam additur, quoniam omnes medici Indorum purgantia sua Zingibere corrigerē solent. Siccati, quales in officinis nostris reperiuntur, debilem exserunt virtutem purgantem. In affectibus arthriticis, lue venerea & gutta Serena maxime commendantur, adeo, ut titulo animæ articulorum ornati & ad remedia antarthritica plurima adhibiti fuerint, quo jure vero & qua singulari virtute præ ceteris purgantibus hos salutares producant effectus, me præterit. In substantia a drachma dimidia ad drachmas duas exhibentur, in infuso & decocto ad unciam unam. Adeo debilis eorum vis est purgans ut raro soli præscribantur sed aliorum purgantium fortiorum additione stimulandi sint. Frequentius in infusis & decoctis quam in substantia & cum roborantibus & carminativis commode & summo cum fructu combinati exhiberi solent, quamvis hodierno aeo eorum usus fere exsoluerit.

## CAPVT

CAPVT XXII.  
DE  
MYROBALANIS.

§. I.

Despeciebus  
myrobalano-  
rum in gene-  
re.

**R**ecentiores quinque MYROBALANORUM species con-  
stituerunt, quæ adhuc in officinis reperiuntur & sunt  
CITRINÆ seu flavæ, INDICÆ seu nigræ, CHEBULÆ, BEL-  
LIRICÆ & EMBLICÆ, non unius ejusdemque arboris sed  
diversarum arborum fructus, ex Indiis orientalibus ad nos  
venientes.

§. II.

De myroba-  
lanis citrinis.

MYROBALANI CITRINÆ sunt fructus exsiccati oblon-  
go-rotundi, quindecim lineas longi, novem lati, utrinque  
obtusi, coloris flavescentis seu citrini, chebulis minores,  
quinque ut plurimum striis majoribus distincti cum totidem  
striis minoribus intermediis & includentes sub putamine  
carnoso durum nucleus. A Batavis & Lusitanis plerum-  
que siccæ, interdum etiam etiam saccharo conditæ ex India  
feruntur. Decenter magnæ, recentes, ponderosæ, foris ru-  
bicunde flaventes & pulposæ sunt bonæ videndumque est,  
ne fuscis & cineraceis sint permixtæ. Nascuntur in arbore  
pruni sylvestris magnitudine foliis per conjugationes fraxini  
aut sorbi modo dispositis, quæ Myrobalanifera sorbi foliis  
*Fonston. Dendrol.*

§. III.

De myroba-  
lanis chebu-  
lis.

MYROBALANI CHEBULÆ, quæ omnium sunt maxi-  
mæ, foris obscure fuscæ, nigrantes, paulum rugosæ,  
sub putamine carnoso nucleus cavernosum includentes.  
Optimæ sunt, graves, magnæ, plenæ, perfectæ, re-  
centes, non valde rugosæ, carne lenta & fractu contu-  
mace. Quo pauciores rugas habent, eo habentur me-  
liores, præsertim, si fuscæ magis quam nigræ & quasi guim-  
mosæ intus videntur, sapore adstringentes & subamaræ de-  
pre-

prehenduntur. Arbor, quæ hos fructus profert, folia gerit simplicia, non conjugata & persicæ similia. Dicitur arbor myrobalanifera persicæ folio.

§. IV.

MYROBALANI INDICÆ seu nigræ sunt fructus exsiccati, De myrobalani citrinis minores, novem lineas oblongi, quatuor vel lanis Indis. quinque lineas lati, rugosi potius quam striati, utrinque obtusi, foris nigri, solidi & duri intus & extus, intus bituminis aut picis instar splendentes, superficie octangulari, cavitatem nucleo destitutam habentes: quo ipso ab aliis facile distinguuntur, quamquam sapore acidiusculo & adstringente reliquis valde prope accedant. Sapore præeditæ sunt acido, acerbo, amaricante cum acreidine obscura, dentibus adhærent & salivam exprimunt. Crassæ, perfectæ, vere nigræ, ponderosæ, probe siccatae, carne dura, firma & densa sapore acidae & adstringentes sunt optimæ. Eas profert arbor pruni sylvestris magnitudine, quæ folia gerit salici similia & myrobalanifera salicis folio nominatur.

§. V.

MYROBALANI BELLIRICÆ sunt fructus subrotundi, De myrobalani nonnihil angulosi, nucis moschatae forma magnitudine & lanis belliricæ colore, ad flavedinem paulo vergentes seu ex rubigineo cis. flavescentes, unciam pene longi, decem circiter lineas lati, in pedunculum crassiorem ficus instar desinentes, carnem habentes saporis subadstringentis acriusculi post subdulcis, sub qua latet nucleus avellanae nucleo similis, ex rotundo acuminatus & mucronatus. Optimæ sunt recentes, perfectæ & bene cretae, cortice denso & carne minus solida chebulis aut citrinis. Arbor, quæ Myrobalanus lauri folio subcinericeo Jonston. *Dendrolog.* foliis est lauri sed pallidioribus eaque pruni sylvestris magnitudine.

§. VI.

MYROBALANI EMBLICÆ sunt fructus exsiccati, rotundi, sexangulares, belliricis minores, ex cinereo nigri lanis emblicantes, cis. Nicolai mat. med. P. Hda. X

cantes, diametri semiuncialis, etiam si majores quandoque occurrant, continent sub carne in sex partes per maturitatem dehiscere ossiculum leve, albidum, avellanæ minoris magnitudine, angulosum, in tres cellulas distinctum, quod per maturitatem in tres partes dehiscit. Ut plurimum carnis segmenta exsiccata, nigricantia, saporis acidi, austeri cum acredine quadam obscura ad nos deferuntur & optimæ sunt recentiores, crassiores, carnosiores & ponderosiores. Arbor, quæ myrobalanifera foliis minutim incisis JONSTON. DENDROL. non ceterarum solum proceritatem superat sed foliorum etiam forma ab iis longe differt. Quinque hæ myrobalanorum species una cum virtutibus sequentibus exprimuntur versibus:

Myrobalanorum species sunt quinque bonorum  
Citrinus, Chebulus, Belliricus, Emblicus, Indus,  
Primo trahit cholera Citrinus, phlegma secundo  
Chebulus, e contra Belliricus Emblicus æque  
Illud, & in nigram cholera niger imperat Indus.  
In multis Indiae reperiuntur regionibus, Goa, Malabar,  
Bengala, Cambaja, Java &c.

### §. VII.

Mixtio &  
virtus myro- adeoque mixta ex aqua oleo terra & sale acido: id quod  
balanorum. confirmat etiam analysis chemica, qua sulphuris seu olei non  
mediocrem quantitatem multumque liquoris acidi præbet,  
neque minus subdulcis vel acerbus, quo gaudet, sapor ei  
salia acida oleofas & terreas partes inesse demonstrat  
§. CCXXXII. CCXXXV. Sect. IV. Part. I. Vi salium acidorum & terrearum partium virtutem roborantem & adstringentem exserere §. XVII. Sect. I. Part. I. §. CCCCLXX.  
Sect. VI. Part. I. & vi partium sulphurearum & salium acidorum leniter stimulare resolvere & alvum movere possunt  
§. CCCCLXIV. Sect. VI. Part. I. & §. XXV. XXVI. Cap. I.  
Sect. I. Lib. I. Part. II. Haec omnia experientiae respondent, nam medici fere omnes uno fatentur ore, myrobalanos

nos leniter purgare simulque robore & paulum adstringere. Illustris GEOFFROY in Tractatu Materiae Medicæ hæc testimonio suo confirmat dicens: myrobalani a medicis fere omnibus recensentur inter ea medicamenta, quæ alvum citra noxam solvunt; nam etsi purgandi facultate polleant, nulla tamen virium imbecillitate aut molestia sumentes adficiunt, sed sua adstrictione viscera roborant, quin etiam universum corpus. Eam ob rem in alvi profluviis & dysenteria, ubi simul purgatione & adstrictione opus, commendantur & specifice prosunt. Iisdem insuper refrænantur medicamenta omnia, quæ dejiciendo laborem inferunt, quo fit, ut utiliter misceantur aliis purgantibus valentioribus. Id tantum illis noxæ adscribunt, quod obstructions & viscerum infarctus augeant, proinde, ne obstructis exhibeantur, præcipiunt. Hactenus GEOFFROY. Eandem ob virtutem roborem & leniter adstringentem commendantur a medicis ad dentes vacillantes firmandos colluendo os earum decocto, & in viscerum atonia & debilitate ad robur eorum augendum. Fermentatione virtus earum stimulans augetur & vi illius flatus quoque & molestias in primis viis excitare possunt. Omnes prescribuntur anatica dosi ad unciam unam vel integrum & dimidiam in infuso vel leviori decocto, in substantia vero ad drachmas tres vel quatuor sed rarissime. In substantia eas non tam purgare quam potius adstringere, infusum blande purgare sine sensibili adstrictione, decoctum magis purgare & simul adstringere, pulverem vero tostum potentius adstringere & nullo modo purgare affirmant. Hodie vix amplius veniunt in usum.

CAPVX XXIII.

DE

ELLEBORO NIGRO.

§. I.

Duo ellebori genera hodie in officinis reperiuntur, quæ Variæ deno-

colore, ut olim, distinguuntur, nimirum elleborus al-

minationes  
bus ellebori ni-  
gri.

X 2

bus & niger. Hic dicitur etiam VERATRUM NIGRUM & MELAMPODIUM a Melampo, qui eo primus usus fuisse scribitur. Postquam enim capras elleboro pastas purgare vidit & de virtute ejus cathartica certior fuit factus, lac eaurum adhibuit ad filias regis Proeti mente captas & furore agitatas curandas, salutari cum effectu, unde præter amplissimam regni portionem hanc reportavit gloriam, ut ipse postea elleborus niger ab eo appellaretur melampodium. Totam illam historiam ex antiquis scriptoribus operose conquifitam recensuit Celeberrimus Schulzius tam in erudita dissertatione de elleborismis veterum quam in historia medicinæ pag. 87. seqq. ubi etiam non immerito ipse dolet, deficere nunc penitus scripta veterum, quibus accuratior methodus utendi elleborismis tanquam re inter medicos olim omnes tritissima maxime cognita & pervulgata, dilucide satis sit tradita. Quamvis vero nondum certum fit atque extra omnem dubitationem positum, quonam elleboro, utrum albo an nigro, Melampus olim fuerit usus immo Galenus in Libr. de atra bile cap. VII. album a Melampo fuisse adhibitum afferat & b. Schulzius ab eadem stet sententia, nihilominus tamen hoc ex certis probari potest documentis, quod tam a Dioscoride & Plinio quam a pierisque recentioribus nomen Melampodium elleboro speciatim nigro attribuatur. Anticyranus quoque appellatur, quod olim optimus & copiosissimus in Insula Anticyra crevit & hinc etiam, cum pristinis temporibus complures quotannis in hanc proficserentur insulam, ut a gravissimis morbis, præfertim infania, mania, melancholia aliisque delirii speciebus liberarentur usu ellebori, ortum fuit illud proverbium: Anticyram navigare & elleboro opus habere.

## §. II.

*De speciebus  
ellebori ni-  
gri.*

Permulta ac variæ ellebori nigri species a Botanicis allegantur, quas omnes si hic exponere vellem nimis longus forem & a scopo meo nimis recederem, liceat autem mihi generalem ellebori nigri definitionem ex Tournefortii In-

stit. rei herbar. p. 271. hic apponere, quæ sic se habet: Elleborus est plantæ genus flore rosaceo, plurimis scilicet petalis in orbem positis constante: ex cuius meditullio surgit pistillum, plurimis corniculis, inter stamina & petala jacentibus, circa basin cinctum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ membranaceæ in cornu plerumque desinentes, secundum longitudinem dehiscentes & seminibus foeræ plerumque subrotundis vel ova-tis. Adde quod circa istam alias bene se habentem Tournefortii definitionem monuit lo. Rajus in Methodo plantar. emend. p. 77. genuina scilicet Ellebori nigri florum petala esse tubulosa illa, quæ stamina & capitulum velut corona cingunt: folia autem ista lata, speciosa, quæ florum petala vulgo habentur, cum non defluant aut marcescant sed ad fructus usque maturitatem durent, calycem potius constituere. Ceterum diversas ultra duodecim ellebori nigri veras species enumerat laudatus Tournefortius l. c. quibus in Corollario duas superaddit alias & in primis elleborum nigrum orientalem, amplissimo folio, caule præalto, flore purpurascente, quem etiam dudum observavit Bellonius in Olympo Asiae monte & in suis observationibus Lib. III. Cap. IV. annotavit. Medico usui ille potissimum inservit elleborus, qui flores fert roseos albos aut purpureos hiemali tempore efflorescentes. Præter hunc flore roseo ornatum elleborum commemorandus mihi quoque est hortensis vulgo dictus, flore viridi, qui hoc ipso colore potissimum a priori differt, radicis autem forma & habitu plurimum cum eo convenit, nec minor est virtutum convenientia, ut non dubitaverit lo. Bauhinus ad experientiam provocare, quod in purgando & reliquis usibus hic flore viridi prædictus eadem cum priori omnino præstat, quare etiam J. B. Chomel dans l'histoire des plantes usuelles p. 25. asseverat, Gallos suos promiscue uti duobus illis ellebori speciebus. Illustris vero b. m. GEORG. WOLFFG. WEDELIUS eundem flore viridi longe anteposuit alteri florem roseum exhibenti; quod illius radices ceterarum specierum omnes amaro

rore & acrimonia sua & viribus superent; easdemque propteræa quotannis fere ex Syria, ubi copiosæ non minus quam præstantissimæ nascuntur, sibi in usum domesticæ dispensationis afferri curavit. Quænam autem ellebori species nostra ætate, qua Anticyranus elleborus haberi nequit ejusque non datur copia, in officinis medicis reperiantur vel adservari debeant, omnium optime me judice ostendit vir in arte chemica & pharmaceutica peritissimus b. Neumannus in *Chemia a D. Zimmermanno* edita pag. 882: Dantur, inquit, duæ vel tres ellebori nigri species quæ in officinis usitatæ sunt & adservantur, quarum prima est elleborus ille niger angustis foliis Tournefortii, legitimus Clusii, sive veratrum nigrum Dodonæi; altera species in pharmacopoliis æque uirata dicitur elleborus niger amplioribus foliis Tournefortii, tertia est elleborus niger hortensis flore viridi, vulgaris flore viridi Jo. Bauhini, veratrum nigrum secundum Dodonæi, *elleborus niger Brunfelsii*, adulterinus niger domesticus Raji, *elleborastrum nigrum Lobelii*, elleborus niger sylvestris Morisonii. Haec ultima ellebori species habetur a Wedelio aliis par & æqualis, a multis aliis autem vilissima, in Germania est vulgatissima & in ejus colitur hortis, priores vero duæ species in tractu Austriaco & Tirolensi neque minus in Helvetia sponte sine cultura copiose crescunt,

## §. III.

De radice ellebori nigri  
expetuntur medicum. Radix hæc est tuberosa & nodosa,  
ejusque characteribus.  
ex qua velut ex capite fibræ multæ tenues, densæ, externe nigrae, intus albæ, saporis valde acris amari pungitivi & nauseosi, odoris si recens est, vehementis ingrati. Maximopere vero est cavendum, ne loco radicis ellebori nigri radix aconiti adhibeat, utpote quæ magnum cum illa habet convenientiam, sed gravia & periculosa damna corpori humano infert, id quod sepius factum fuisse testantur observationes. Colore vero nigro radix ellebori nigri a radice aconiti potest

potest discerni; illa enim hanc nigrarie superat & haec illa minus est fusca, quare, ut eo facilius fallacia evitetur, consultius est, ellebori nigri radicem nigerrimam eligere. TOURNEFORTIUS, ut scribit Geoffroy, ad explorandum, utrum radices, quae ellebori nigri nomine divendi solent, praestent ad usum medicum hoc proponit tentamen: infundantur in aquæ fontanae quantitate sufficienti, deinde instittuantur destillatio per alembicum, si aqua, quae destillatione prodit, saporis est expers, rejiciendæ sunt illæ radices tanquam inutiles, adhibendæ vero, si aqua est acrior.

§. IV.

Radix ellebori nigri acrem pungentem saporem mole-  
stamque sensationem in lingua excitat, cuti applicata ardo-  
rem & inflammationem efficit, sternutationem moveret, & de-  
glutita faucium constrictiōnem vehementem neque minus  
ardoris & rosionis sensationem producit: quæ omnia satis  
superque docent, radicem ellebori principio acerrimo val-  
deque caustico esse præditam. Porro, si consideramus, ve-  
teres a sola pedum cum decocto elleborato lotura pur-  
gasse, pulverem radicis ellebori fonticulo inspersum  
vomitus alvique purgationem produxisse & denique  
diurna & forti coctione vim hujus radicis activam valde  
imminui, facile mente comprehendere possumus, hujus ra-  
dicis virtutem dependere simul a valde tenui subtili & vola-  
tili substantia acri, cujuscunque sit indolis.

Radix elle-  
bori nigri ha-  
bet princi-  
pium acerri-  
mum.

§. V.

Cum radix ellebori nigri principio acerrimo & valde  
caustico sit instruēta §. præced., sequitur, ut vehementer sti-  
mulantem & insigniter resolventem possideat atque exer-  
ceat virtutem §. CCCCVIII. Sect. VI. Part. I. Eandem ob  
causam contractiones partium solidarum spasmodicas, dolo-  
res, arrofiones, erosiones, inflammations & alia mala pro-  
ducere potest, uti jam patet ex dictis §. IV. & clarius appa-  
rebit ex infra dicendis §. VIII.

Virtus hujus  
radicis est  
valde stimu-  
lans & resol-  
vens.

§. VI.

## §. VI.

Analysis che-  
mica & par-  
tes consti-  
tutivae radicis  
ellebori ni-  
gri.

Clarissimus BOULDUC cum hac radice instituit ex-  
amina chemica, quæ in Actis Academiae Regiae Scientiarum  
Parisiensis ann. 1701 sunt consignata. Vi horum dederunt  
unciae duæ radicis drachmas sex extracti resinosi primi, un-  
ciam dimidiā gummosi secundi & inverso modo drachmas  
septem extracti aquosí primi & drachmas tres cum dimidia  
spirituosi secundi. Præterea secundum. b. Neumannum, qui  
his experimentis calculum suum adjicit, partes quoque ole-  
osæ ad indolem olei non tam essentialis quam potius expri-  
mendi accedentes neque minus partes salinæ subtilestes huic in-  
sunt radici. Secundum Excellentissimum CARTHUSE-  
RUM in Fundamentorum Materiæ Medicae Parte I. Sect. X.  
Cap. VII. substantia cathartica, qua radiculæ seu fibræ  
instructæ sunt, partim resinosa partim gummosa deprehen-  
ditur & in uncia circiter drachmæ tres & scrupulus unus  
principii salino-gummosi & drachma una ac scrupuli duo  
principii resinoli latent, hæcque principia tam arcte invi-  
cem mixta sunt, ut alterum ab altero adhibitis etiam congruis  
menstruis vix separari queat, quod etiam causa existit, cur  
chemici, qui radicem hanc examini subjecerunt, circa deter-  
minandam utriusque principii quantitatem tantopere discre-  
pent. Fatetur idem, se ipsum, cum eam prima vice exami-  
naret, deceptum fuisse: aqueum enim menstruum, cum  
paulo fortior accederet digestio, totam propemodum sub-  
stantiam activam extrahebat eademque proinde unicæ gum-  
mosæ indolis esse videbatur, verum extractione semel re-  
petita & aliis insuper scrutinis in subsidium vocatis obser-  
vavit principium activum non mere gummosum sed secun-  
dum indicata resinoso-gummeum esse. Maxima virtus, per-  
git, cathartica in parte hæret resinosa, & gummosa prorsus  
a priori segregata & seorsim exhibita nullam ferme catharsin  
sed magis diuresin provocat, sola ex adverso resinosa valide  
quidem alyum movet, ast multa insimul ventris tormenta pro-  
ducit, unde satis patescere opinatur, quod substantia utraque  
conjugentim exhibita optimam exerceat operationem. Claris-  
fime

sime igitur apparet, quod radix ellebori nigri constet ex partibus tam resinosis quam gummosis, & cum ex extracto aquoso primo spiritus vini partes quasdam extrahat, simul clarum est & manifestum, quod ei insint quoque partes fixiores in spiritu vini & aqua simul solubiles seu saponaceæ fixiores.

§. VII.

Vim catharticam draisticam radicis ellebori nigri sedere Virtus radi- in parte potissimum ejus resinosa, ex dictis §. præc. appa-cis ellebori  
tetur. Vi hujus partis resinosæ stimulat resolvit calefacit nigri ex par-  
§. CCCCCXCVII. Sect. VI. Part. I. & vi partis saponaceæ tibus consti-  
fixioris resolvit itidem §. CCCCCXCVIII. Sect. VI. Part. I, tutivis dedu-  
quibus adde, quod vi principii acerrimi caustici vehementer citur.  
resolventem atque insigniter stimulantem exerceat virtutem  
§. VII. Ejusdem virtutis ope maximam exferere potest virtutem  
purgantem §. XXV. XXVI. Cap. I. quam ipsi actu competere  
docet experientia. Praeterea pars ejus tam gummosa quam  
præcipue resinosa vi tenacitatis & visciditatis suæ purgatio-  
nem excitare possunt §. XXVII. Cap. I. Sect. I. Lib. I.  
Part. II.

§. VIII.

Quum radix ellebori nigri vehementi virtute stimulan- Damina radi-  
te & cathartica sit prædicta §. V. VII, prona exinde fluit con- cis. ellebori  
sequentia, quod convulsivas & spasmodicas partium solidi- nigri.  
rum contractiones ut nauseam, vomitum, singultus, con-  
vulsiones neque minus dolores immanes, hypercatharses,  
faucium strangulationes, suffocationes, inflammations, ardo-  
res, arrosiones, erosiones, animi deliquia idque genus alia  
mala excitare possit. Horum effectuum veritatem medici  
tam veteres quam recentiores luculentis iisque tristissimis  
confirmant exemplis & illustris GEOFFROY testatur, quod  
ipsius Dioscoridis tempore horrenda nonnunquam ab elle-  
bore excitata fuerint symptomata, nempe intolerabiles alvi  
fluxiones, suffocationes, convulsiones, animi deliquia, cor-  
dis palpitatio, linguae aresactio, dentium constrictio, fre-  
Nicolai mat. med. P. IIa. Y quen-

quentissimi ructus, singultus, viscerum & universi corporis inflammatio, &, nisi illico succurratur, tremor consequitur universum corpus occupans, quocum postremo moriuntur ægri. Porro TOURNEFORTIUS refert, omnes, quibus ellebori orientalis extractum exhibuit, naufragis, ventriculi gravidine & irritatione dolorem inferente, phlogosibus, fauum ventriculi & intestinorum ardore irritatione & constrictione fuisse vexatos & per plures dies cephalalgia, lancinationis sensu artuumque tremore ita affectos, ut ab illo remedio abstinere fuerit coactus, nostratis vero minorem esse vehementiam. Purgatio ex elleboro, inquit FERNELIUS, difficilis terrorisque plena est solique robusto & animoso adhibenda. MESUE quoque refert, homines sui temporis jam ferre non potuisse elleborum album, nigrum vero non nisi difficillime. Probe vero cavendum est, ne omnium horum malorum culpa solummodo in elleborum conjiciatur & imprudens ejus usus & abusus plane excludatur.

## §. IX.

Ubi & quan.  
possit radix  
ellebori nigri  
ejusque effe-  
ctus saluta-  
res.

Adductis funestis effectibus, quos radix ellebori nigri do prodeſſe producere valet §. præc., ordini & proposito meo con- gruum esse existimo, a priori & a posteriori, ut loquuntur, demonstrare ejus effectus salutares. Quum non virtutem solum catharticam vehementem sed maxime resolventem & valde stimulantem possideat §. IV. V. VII, in omnibus iis morbis & effectibus, qui ab humorum seroforum abundantia, insigni fluidorum & seri visciditate & tenacitate, partium solidarum atonia & debilitate, humorum seroforum congestione & stagnatione, viscerumque obstructionibus proficiuntur, cuius generis sunt hydrops, cachexia, apoplexia serosa, cephalalgia serosa, affectus soporosi, auditus difficilis, affectus & dolores rheumatici serosi, ut dolor cephalicus, dentium, aurium, hemicrania, item paralyſis & id genus alia, conducere potest, in primis, si prudenter adhibetur. Porro in summa humorum cum acrimonia conjuncta tenacitate & visciditate, quæ atra bilis, constitutio atrabilaria, cacochy- mia

mia atrabilaria, & si talis est, ut actionum laesionem inferat sensibilem, intemperies atrabilaria audit & in morbis, qui hinc oriuntur, ut melancholia, mania, malo hypochondriaco, scabie & cum ea cognatis affectibus, maxime prodeesse videtur, cum nimia ejusmodi cum acrimonia conjuncta visciditas, si resolvenda est, vim remediorum leniter resolutum plenarie eludat & vehementiora requirat resolventia.

§. X.

Supereft, ut demonfrem, hæc, quæ afferui §. IX, ex perientiæ respondere, & hunc in finem liceat mihi hic adscribere testimonia, quæ in Dissertatione de salutati & noxijs ellebori nigri ejusque præparatorum uſu Præſide illustri Buchnero hic Halæ habita §. IX. X. sunt exposita & ex diverſis Auctoriſbus ſtudioſe collecta: purgat, ſunt verba Dioscoridis ibidem allegata, per inferna, trahitque pituitam & bilem datum per ſe aut cum ſcammoneo aut ſale ſubditum, menses trahit & partus necat, firſtulis inditum ac tertia die exemptum eadē repurgat, ſimiliter in auditu diſſicili immittitur in au-rem ibique ad biduum triduumve ſinitur. Scabiem quoque ſanat cum thure aut cera & pice ac cedriño oleo perunctum. Vitiligini vero impetigini ac lepris ex aceto impositum perfe medetur. Dentium dolorem coctum cum aceto collutione mitigat. Septi- cī etiamnum medicamentis admifcetur: quin & hydropicorum ventri cum farina hordeacea & vino utiliter imponitur. His porro Commentator ejusdem MATTHIOLUS in Commen- tar. Lib. IV. cap. 146. addit: inveterascentibus arquatis morbis veratrum nigrum utile eſt & quibus in ſuperficie af- peritudines emerſerunt, velut lepris, impetiginibus & ele- phantia laborantibus. Quare non mirum eſt quod ORIBA- SIUS de morb. curat. Lib. III. cap. XXVIII, cancrum etiam exulceratum ellebore curatum adferat, & quod HIPPOCRAT- ES de morbis mulierum in utero mensibusque promoven- dis clyſteres & pefſos uterinos ex ellebore magnopere lau- det, & GALENUS denique elleborum nigrum in firſtulam calloſam inditum in duobus vel tribus diebus caſſum detra-

Anteceden-  
tia obſerva-  
tionibus cor-  
roborantur.

Eturum esse promittat, quibus adde, quod non solum PLINIUS eundem ad strumas bene digerendas destinaverit, maximeque CORNEL. CELSUS Lib. III. Cap. XXIII. purgationem cum elleboro nigro comitali morbo affictis, & Lib. II. cap. XXII, atra bile vexatis aut cum tristitia insanientibus aut iis demum, quorum nervi aliqua parte resoluti sunt, magnopere commendet. Nec recentiores aliter sentiunt, ut IO. QUERCETANUS in Pharmac. Dogmaticor. Restitut. cap. XXIV. RENODÆUS de Materia Medica Lib. I. Sect. II. cap. XXVI. b. HOFFMANNUS in Clave Schröderi Cap. de purgantibus & maxime omnium illustris & de medicina optime meritus JUNCKERUS, qui idem illud medicamentum in hæmorrhoidum promotione seorsim adhuc suadet in Therap. general. Tab. III. num. 28: elleborus niger, dicens, operatur in humores sanguineos crassiores, quos antiqui melancholicos & atrabilarios appellabant, speciatim efficaciam suam edit in intestinum rectum, teste experientia: saepius enim hæmorrhoides congruo illius usu provocavimus.

## §. XI.

Antecedentia observationibus confirmantur.

Præter hactenus allegata alia meis assertis §. IX. dant robur, quæ illustris b. m. GEOFFROY de elleboro nigro profert. Prodest ex veratro, inquit, nigro purgatio insanientibus, maniacis, melancholicis, comitali morbo affictis, podagrericis, apoplecticis, paralyticis, elephantiacis, quartana laborantibus, & omnibus, quos atra bilis vel melancholicus humor molestat. Nec sola vis cathartica in ellebore nigro laudatur sed etiam a pluribus medicis virtus alterrandi humores eorumque lentorem resolvendi in eo agnoscitur & commendatur. Arbitrantur enim, hanc medicinam melancholicos successus non tam purgando quam alterando emendare. Externe veratrum nigrum lichenas, psorias, lepras abstergit. In fistulam callolam inditum callum duobus aut tribus diebus detrahit, auctore Galeno. Hactenus Geoffroy.

## §. XII.

§. XII.

Ex iis, quae hactenus adduxi §. IV-XII, luculenter Conclusio-  
apparere arbitror, quod radix ellebori nigri sit medicamen-  
tum, cuius usus maximam, si prodesse debet, postulat cau-  
tionem & quod si imprudenter adhibetur, permultas & ma-  
ximas corpori humano inferre valet noxas. Eadem cum  
elleboro nigro est comparatum ratione, qua cum aliis pur-  
gantibus drasticis, &, quamvis in ea fuerim & adhuc sim-  
fententia, quod in omnibus casibus, in quibus idem effectus  
æque per lenius ac per vehementius medicamentum obti-  
neri potest, semper illud huic sit præferendum, ni-  
hilominus tamen sæpius occurrunt ejusmodi casus, qui non  
lenius sed fortius requirunt medicamentum & tunc hujus  
usus cum cautione est instituendus. Id probe jam per-  
spexerunt veteres medici & hinc elleborum nigrum non pro-  
miscue nullo habitu circumstantiarum discriminé sed maxima  
cum cautione adhibuerunt. Præcipue ad duo circa ellebori  
usum maxime respexerunt, primum, num morbi essent  
pertinacissimi, qui aliorum leniorum remediorum vi supera-  
ri non possent, deinde, num vires ægris adhuc constarent  
& ferendo elleboro essent pares. Neque illum adhibuerunt  
nisi primo antea ad ejus usum decenter præparato corpore,  
quo fine humectante diaeta balneis fomentis aliisque sunt usi,  
deinde convenienti electo tempore & denique præstantissi-  
mo elleboro electo & debito modo correcto & præparato.  
Eam ob causam elleborum in Anticyris collectum ut optimum  
usurparunt, ægris, ut Anticyras peterent ibique elle-  
boro uterentur, suaferunt & variis modis eum præpararunt  
& correxerunt: quæ vero correctiones & præparationes  
non omnes in monumentis nobis fuerunt traditæ atque ad nos  
pervenerunt. Actuarius quandam refert præparationem,  
qua scilicet pars radicis fibrosa, rejecto capitulo, in aqua paulu-  
lum fuit macerata, deinde cortex detractus & separatus a te-  
nui, quæ ipsi subjacet, medulla in umbra exsiccatus, ex passo  
& oxymelite ad drachmam dimidiā, & quatuor obulos, h.e.  
quatuor scrupulos raro autem & a paucis in majori quan-  
titate

titate porrectus, nonnunquam cum odoratis seminibus permistus, si vero efficacior purgatio desideraretur, cum scammonii pauxillo conjunctus. Hippocrates Libr. de victu in acutis §. XII. XIII. peplum aut sesamoides, quæ quid proprie fuerint, non certe constat, vel semina odorata robورتia & carminativa vel id genus alia junxit elleborο & prisaman lac vel ejus serum insuper ingerendum dedit ad noxiā elleborο qualitatem corrigendam. PLINII tempore radices elleborο nigri raphanis dissectis inclusas coixerunt, ut vis earum vehementior dissipando temperaretur, & vel radices coctione temperatas vel raphanos rejectis radicibus comedendos vel decoctum vi elleborο purgante imbutum hauriendum præbuerunt ægrotantibus. Alii, ut Dioscorides sal elleborο radici admiscuerunt vel eam cum lentibus & jusculis decoxerunt & hoc decoctum elleborο viribus imprægnatum propinarunt. Excluserunt ab elleborο usu, inquit Plinius, senes, pueros, mollis ac foeminei corporis animique, exiles, teneros, sensibili natura præditos, hæmorrhagiis obnoxios, foeminas præ viris. Porro, teste AETIO Tetrabibl. Serm. III. cap. CXXI, hujus medicinæ usum evitabant in suffusione imminentे & ejusmodi capitis affectibus, qui a sanguinis congectione oriuntur, in respiratione difficulti & strangulationem minitante, uteri strangulationibus & animi deliquiis.

## §. XIII.

Modus exhibendi radii substantia a providis & circumspectis medicis adhibetur obvehementem & drasticam ejus virtutem, frequentius vero in infusis & decoctis præscribuntur ejus fibræ neque tamen solæ sed cum aliis conjunctæ, quippe quorum virtutem augendi scopo adduntur. Menstruum infusioni inserviens est frequentissime vinum cum aqua vel solum vel aqua sola vel lac, quod quidem propter vim demulcentem acrimoniam elleborο optime conductit sed saporem simul nimis nauseosum & amarum acquirit.

Reci-

Recipe fibrar. ellebor. nigri unciam dimidiā  
rhabarb. elect.  
fol. senn. fin. stip. ana drachmas duas  
rad. pimpin. albæ  
Zedoariæ ana drachmam unam & dimi-  
diam  
herb. epithym.  
summit. centaur. min. ana pugillos quatuor  
cardamomi  
cinnamomi ana drachmam dimidiā  
passular. minor. unciam unam

Concisa & contusa fiant species pro infuso vinoſo  
purgaante, quod determinato §. LXXII. Cap. II.  
Se<sup>c</sup>t. I. Lib. I. Part. II. modo parandum est &  
usurpandum.

Ejusmodi infusa vel ad horum exemplar concinnata in ca-  
chexia, chlorosi, hydrope, scabie, lue venerea, affectibus  
scabiosis & venereis, fluore albo, gonorrhœa, febribus inter-  
mittentibus, præsertim quartana & quotidiana, &c. gene-  
ratim in omnibus iis morbis, ubi humorum, serorum  
præsertim, magna peccat abundantia vel visciditas seorsim  
vel coniunctim, & partes solidæ debilitate laborant & stimulo  
opus habent ad robur eorum restituendum, a. b.  
**HOFFMANNO** maxime fuerunt commendata atque opem  
ferunt egregiam. Pro una dosi præscribuntur fibræ radicis  
ellebori nigri a drachma dimidia usque ad unam, sed raro,  
ut jam monui, folæ. Usum decocti ellebori, in primis si id  
vehementi & diurna coctione paratum fuerit, suadere  
nolo. Quamvis enim fortiori & longius durante ignis tor-  
tura principium ellebori subtile & volatile summa efficacia  
præditum in auras abigatur adeoque qualitas ejus inimica  
corrigatur, nihilominus tamen, quoniam primo in coquen-  
do legitimum tenere modum difficile est, deinde determi-  
nari nequit, quantum virtutis remaneat in decocto, & deni-  
que coctione ellebori virtus destrui potest adeoque effectus  
decocti semper incertus est atque anceps, consultius est, ab  
usu

usu ejus abſtinere. Lenis decoctio admitti potest eam ob cauſam, quoniam virtutem ellebori non plenarie diſſipat & deſtruit, ſed potius mitigat & ad iuſtos redigit limites.

## §. XIV.

**Extraſtum  
ellebori ni-  
gri ejusque  
præparandi  
& exhibendi  
modus.**

Proſtat in officinis extraſtum ellebori nigri. Varii funt illud præparandi modi ut cum aqua, vino, acero, ſpiritu vel aquis deſtillatis, optime vero conficitur cum ſimplici aqua, ſi cum hac radices fibroſae minutim conciſe fortiter decoquuntur decoctum expreſſum & colatum igne ad debitam extracti conſiſtentiam evaporatur atque inſpiſſatur. Hæc coctio & evaporatio, cum draſticam ellebori virtutem immi- nuat §. IV, diu continuari & fortiori igne admiſtrari po- teſt, ſi extraſtum deſideratur mitius ejusque veheſentia eſt mi- tiganda. Scribunt Autores, quod hoc modo præparatum extraſtum, quamvis recens ſit optimum, vetuſtate novicam & malam inducere ſoleat indolem, &, ſi ultra biennium ad- fervatum fuerit, ſæpe peſſimam acquirat qualitatem: id quod ſi verum eſt, nobis conſilio eſſe po-teſt, ut vel ad uſum re- cens præparatum adhibeamus vel vetuſtum nova coctione cor- rigamus. Dofis a diversis allegatur diversa & Dominus GEOFFROY eam a granis quindecim uſque ad drachmam diuidiam extendit, ſed præſtat ſemper in minori ſubſiſtere doſi quam majori nocere, ne dicam, quod largior ejus do- fisi graviflma & periculoſiſſima excitare ſoleat ſympotata im- mo mortem inferre valeat, de quo conſerri meretur ſupra allegata diſſertatio, in qua multa triftiſſima exempla dicto- rum veritatem demonſtrantia inveniuntur allegata. Exhi- betur in forma boli vel omnium optime pilulari, præſertim cum bolorum uſus apud nos fere exoluerit, pilularum forma maxime apta ſit atque idonea ad nauſeoſum medicamenti fa- dorem & odorem occultandum, pilulae ſucceſſive ſolvantur & per iuſtinorum traetum devolvantur, quod operationem reddit ſecuriorem & cum paucioribus minoribusque ſtipa- tum eſt moleſtiis. Neque conuenit, id adhibere ſolum ſed optime

optime datur cum massa pilularum balsamicarum ad mentem Hoffmanni Stahlii vel Beccheri paratarum, quarum compositionem §. XXII. Cap. V. de aloe allegavi. Tali modo adhibitum extractum ellebori virtutem pilularum resolventem stimulantem & purgantem maximopere intendit & ejusmodi pilulae cum praedicto extracto coniunctae longe praestantiorē exserunt efficaciam in omnibus iis morbis, ubi stimulandum, partes solidae ad motum excitandae, humorum motus a partibus superioribus ad inferiora revellendus, purgatio instituenda, humores serosi eliminandi, spissa & tenacia resolvenda, quorsum pertinent cephalalgia serosa & pituitosa, clavus, hemicrania, apoplexia pituitosa & paralyses, asthma humidum, catarrhus suffocativus, cachexia, hydrops & id genus alii affectus, in primis vero in fluxu menstruo & haemorrhoidalī promovendo maxime salutarem & specificam quasi praestant efficaciam.

§. XV.

Ad melancholicos & maniacos purgandos solito vehe- De extracto  
mentiora purgantia atque ad eorum curationem maxima vir- ellebori per-  
tute resolvente praedita requiruntur resolventia (per prin- tractationis  
cip. therapeut.) motum humorum a capite versus inferiora continuatio.  
revellentia, & atram bilem evacuantia. Iam vero pilulae balsamicæ cum extracti ellebori nigri quantitate debita commixtae hos effectus producunt §. XIV, quam ob rem summo cum fructu in melancholicis & maniacis affectibus possunt usurpari. Admiseri autem potest hoc extractum massæ pilularum ad grana quatuor vel sex pro dosi. Neque tutum & securum est, illud solutum in forma liquida exhibere, quoniam tunc longe vehementiorem exercet virtutem quam sub forma pilulari; id quod plane non est mirandum, cum si solutum est, iam in innumeris minimas moleculas sit divisiū adeoque longe citius longeque plura in puncta actionem suam exserere debeat, quam si non solutum in forma pilulari exhibetur, utpote in qua ejus solutio successive tantum peragit longiorique tempore absolvitur neque in tot puncta neque tot particulis simul agere potest.

Nicolai mat. med. P. II da.

Z

§. XVI.

## §. XVI.

*Quæ præparantur ex radice ellebori nigri ejusque extractum tinturam martis elleboratam Wedelii, quæ magnam famam atque existimationem consecuta est & duplice modo solet nigrum ejusque præparari vel ita:*

*Recipe tinctur. martis Ludovici uncias quatuor extracti ellebori nigri drachmas duas mixta digerantur & filtrantur, vel hoc modo:*

*Recipe limatur. martis tartari crudi ana partes duas rad. ellebori nigri flore viridi partem unam cum adfusa aqua digerantur, colentur, liquor colatus leniter inspissetur & cum modica spiritus vini quantitate ad abarcendam corruptionem commisceatur.*

Hæc tinctura vi suorum ingredientium egregie roborat resolvit & purgat, adeoque mala, quæ ab humorem spissitudine & tenacitate atque solidorum atonia oriuntur, cuius generis sunt obstrunctiones viscerum, malum hypochondriacum, melancholia, febres intermitentes, præsertim quotidiana, mensium & hæmorrhoidum suppressio, cachexia, chlorosis &c. egregie conductit. Ad centum & plures guttas exhibita alvum solvit & si non purgandi solum sed potius alterandi etiam scopo destinatur, pro dosi guttæ triginta quadraginta vel quinquaginta bis vel ter de die assumtæ sufficiunt. Præparari quoque solet ope spiritus vini ex radice ellebori nigri essentia quæ resinolam & saponaceam fixiorem partem continet adeoque vehementer resolvit stimulat & purgat. Celeberrimus Iunckerus in Conspectu Med. Pract. eam in artuum tremore, hæmorrhoidum fluxu promovendo, cephalæa, vertigine, catarhis, maxime laudat ac b. Neumannus refert in Chemia a Zimmermanno edita, eandem ab illustri Regio Consiliario intimo atque Archiatro D. D. Horchio frequenter & exoptato cum successu usurpari.

## §. XVII.

§. XVII.

Præparata quoque sunt olim alia ex elleboro nigro, Syrupus  
ut syrupus & oxymel elleboratum nec non aqua destillata oxymel &  
ellebori, quorum vero omnium usus hodie exoluit.  
aqua ellebo-  
rata.

§. XVIII.

Uſus ellebori nigri exteinus ad unguenta contra sca- De ellebori  
biem, injectiones & pefſos uterinos, pulveres sternutato- nigri uſu ex-  
rios, clyſteres ſtimulantes & revellentes ſumma postulat terno.  
cautionem. Unguentorum contra ſcabiem applicatio maxi-  
ma cum prudentia & circumſpectione eſt fuadenda & admini-  
ſtranda, tantoque majori, ſi elleborus illa ingreditur, quanto  
majora dama ab ejus imprudenti uſu ſunt metuenda.  
Ad clyſteres ſtimulantes & revellentes commode & optime  
extractum hodie ſtimuli loco additur. Ab injectionum & pef-  
forum uterinorum ex elleboro confeſtorum uſu abſtinendum  
eſſe judico, quoniam gravia & periculosa ſymptomata facile  
accerſere potest. Elleborus albus majorem vim poſſidet  
ſternutatoriam, quam niger & utriusque uſus ad remedia  
ſternutationi excitandæ destinata modicus eſſe & ſumma cum  
cautione institui debet, ſi noxæ ſunt avertendæ.

CAPVT XXIV.

DE

C Y C L A M I N E.

§. I.

C Y C L A M E N , C Y C L A M I N U S , A R T H A N I T A , P A N I S De radice  
P O R C I N U S , P A N I S F A U N I , T U B E R T E R R E , R A P U M cyclaminis,  
T E R R E , U M B I L I C U S T E R R E , R A P U M P O R C I N U M , T E R-  
R E M A L U M , C Y C L A M E N O R B I C U L A T O F O L I O I N F E R-  
N E P U R P U R A S C E N T E C . B . P . 308. Inst. R . H . 154,  
C Y C L A M I N U S F O L I O R O T U N D I O R I V U L G A T I O R I . B .  
3 . 551. C Y C L A M I N U S O R B I C U L A R I S R O T U N D I F O L I U S  
D O D O N . Pempt. 337. ſuppediat officinis pharmaceuticis  
Z 2 radic-

radicem tuberosam, crassam, orbiculatam, aliquantulum de-  
pressam, carnosam, foris nigricantem, intus albicanter,  
nigricantibusque fibris præditam, saporis acris pungitivi  
exurentis ingrati, odoris nullius. Si recens est, valde acris  
est, ubi vero exsiccata, nulla percipitur acredo. In sylvis  
Germaniae, montibus Rhæticis Pannonia Italia & Austria  
copiose crescit, apud nos colitur in hortis & floret Junio  
Augusto & Septembri. In usu est radix colligenda au-  
tumno.

### §. II.

Virtutes & Radix cyclaminis a plurimis inter purgantia vehemen-  
tius radicis tiora refertur & parum tutus & securus usus ejus est internus:  
cyclaminis, faucium enim ventriculi & intestinorum ardorem atque in-  
flammationem excitat. Rustici utuntur in hydrope, ictero,  
asthmate & ad foetum pellendum hac radice in substantia ad  
drachmam unam, vel ad unciam dimidiam decocta cum  
cum aqua, quam bibunt, vel ejus succo recenter expresso  
ad drachmam dimidiam. Potentem præterea haec radix  
virtutem resolventem atque emollientem possidet & pro-  
pterea vel contusa sub cataplasmati forma vel succus ejus  
cum gummi ammoniaco aliisque magna virtute resolvente  
præditis ingredientibus in emplasti formam redactus ad  
tumores infarctus & obstructiones partium tum externarum  
rum internarum ut lienis, hepatis, resolutioni resistentes,  
strumas, scrophulas, scirrhos emolliendos & resolvendos  
maximopere commendatur & ad plurima emplastra & un-  
guenta emollientia & resolventia recipitur. Succus hujus  
radicis abdomini illitus alvum movet, aquas hydropicorum  
evacuat, menses & foetum propellit, vermes necat, atque  
ex eo celeberrimum illud conficitur unguentum de arthani-  
ta dictum, quod externe abdomini adplicatum ad pertinaces  
viscerum & glandularum tumores emolliendos & resolven-  
dos, aquas hydropicorum evacuandas, & vermes expellen-  
dos magnis extollitur laudibus, pedibus illitum alvum sub-  
ducere, ventriculi regioni impositum vomitum, abdomini  
cathar-

catharsin, & renibus applicatum urinæ fluxum movere scribitur. Quidam naturis validioribus & robustioribus in hydrope exhibent extractum hujus radicis cum spiritu vini vel aceto factum a scrupulo uno usque ad drachmam dimidiā solutum in aqua cinnamomi vel alia & cum oxymelle vel sale tartari ad noxiā ejus vim corrigendam commixtum his modis:

Recipe extr. cyclam. scrupulum unum  
salis tartari grana septem vel scrupulum  
dimidiū

diacryd. sulphur. grana quinque  
oxymell. q. f.

M. f. bolus in hydrope, ubi alvus purganda  
vel

Recipe extract. cyclaminis drachmam dimidiā  
oxymellis uncias tres  
aque cinnamomi unciam dimidiā

Fiat haustus in hydrope,  
sed præstat, cum securiora & tutiora nobis suppetant reme-  
dia, ab insecurorum usu abstinere quam hoc nocere.

CAPVT XXV.  
DE  
E S V L A.

§. I.

**S**ub esulæ nomine pharmacopæi diversis in regionibus ex- Quænam  
hibere solent diversas tithymali species frequentius apud species esulæ  
eos occurrentes. Nonnulli radices tithymali Cyparissiæ, alii in officinis  
radices tithymali foliis pini vel radices tithymali palustris  
fruticosi, multi tithymali helioscopii radices in officinis asser- afferventur.  
vant neque in eo vituperandos esse Tournefortius existimat,  
siquidem iisdem gaudent virtutibus. In plerisque vero  
pharmacopoliis duæ tantum stirpes sub esulæ nomine occur-  
runt nimirum **ESULA** proprie sic dicta seu **MINOR**, altera

ESULA MAJOR & de his fere sola tantum radix affer-  
vatur.

### §. II.

De esula ma-  
jore.

ESULA MAJOR, TITHYMALUS FOLIIS PINI, TITHY-  
MALUS PINEA LOBEL. ICON. 357. TITHYMALUS PINEUS  
GERARD. TITHYMALUS PALUSTRIS FRUTICOSUS C.  
B. P. TITHYMALUS MAGNUS MULTICAULIS I. B. TI-  
THYMALO CYPARISSIAE SIMILIS, PITHYUSA MULTIS  
gaudet radice oblonga, pollicem crassa, intus pallida, foris  
fusca, parum fibrosa, lacte acri exedente & nauseoso turgi-  
da, si recens. Caules cubitales sunt, ramosi, foliis linariæ  
vulgaris similis, flores lunati, fructus trigonus & tricapsula-  
ris. Tota planta lactescit. J. Rajus suspicatur hanc plantam  
ab auctoribus descriptam cum esula minore unam eandem-  
que esse plantam, eas tamen Tournefortius distinguit, quem  
hic fui secutus.

### §. III.

De esula mi-  
nore.

ESULA MINOR, TITHYMALUS cyparissia C. B. P. 291.  
TITHYMALUS CYPRESSINUS SIVE HUMIPINUS LOBEL.  
ICON. 356. ESULA OFFICINARUM CÆSALPINI 374. radice  
est oblonga, minimo digito crassiori, lignosa, fibrosa, non-  
nunquam serpente, saporis acris pungitivi & nauseosi, foris  
fusca, intus ex flavo albescens, lacte acri turgida. Tota  
planta lacte turget. Utræque hæ esulæ species hinc inde in  
agris, pratis, locis sterilibus, incultis, aridis, montibus, sil-  
vis &c. proveniunt sat copiose.

### §. IV.

Virtus &  
usus esula-  
rum.

Omnia tithymalorum genera valida cathartica virtute  
sunt instructa, in primis vero lacteus eorum succus, qui in  
quantitate vel exigua nunquam facile sine noxa sumi ne-  
quit. Esularum paulo ante descriptarum succus ea-  
dem imbuta est qualitate valdeque acris est & caustica, hinc  
ad verrucas absumendas externe usurpari solet, interne ve-  
ro ob noxiā indolem adhiberi nequit, utpote qua partes  
adurit

adurit inflamat ingentes dolores & spasmos excitat. Utriusque esulae radices per superiora & inferiora evacuant, præcipue tamen per alvum, sed tanto cum periculo tantaque cum molestia, ut consultius sit, ab earum usu abstinere, quam eas exhibendo homines in vitæ periculum conjicere mortique tradere. In cachexia, hydrope, scabie, febribus intermittentibus, ad clysteres acres vel ab empiricis vel a vulgo adhiberi solent sed nunquam sine magno periculo. Virtutem earum, si non omnem, saltim maximam sedere in earum cortice, fuit observatum, siquidem, si hujus pauxillum tantum deglutitur, non urentem solum ardorem in faucibus & oesophago sed in ipso etiam ventriculo accedit, quam ob causam noxiā harum radicum qualitatem mace-rando eas in variis liquoribus ut aceto acerrimo, succo cydoniorum, limonum, berberum, maceratas exsiccando corri-gere tentarunt, sed optima me judice correctio est usus ea-rum plenaria omissione. Nonnulli utuntur extracto harum ra-dicum cum spiritu vini vel alio menstruo acido præparato exhibendo illud ad grana quindecim vel scrupulum inte-grum, vel earum infuso, sed, quoniam minus tuta & secura sunt, a medicis providis & circumspectis non usurpantur.

## CAPVT XXVI.

DE

## SEMINIBVS RICINI.

## §. I.

**S**ub RICINI nomine permulta seminum seu nucleorum pur-gantium species in officinis occurruunt, quæ ex America cini specie- atque Indiis adferuntur. Tres vel quatuor potissimum in pharmocopoliis reperiuntur, nimirum I) RICINI VULGA-RIS NUCLEUS, RICINUS MEDIUS, NUCULA CATHARTI-CÆ PRIMA, CATAPUTIA MAJOR, GERVA MAJOR & GRA-NUM REGIUM II) FABA PURGATRIX INDIAE OCCIDUÆ NVCULA CATHARTICA ALTERA, RICINI AMERICANI MAJO-

MAJORIS vel potius RICINOIDIS AMERICANÆ NUCLEVS  
CVREAS dictos. III) AVELLANA PVRGATRIX NOVI  
ORBIS, NVCVLA CATHARTICA TERTIA, AVELLANA  
PVRGATRIX C. B. P. 418. IV) GRANA TIGLIA, NVCV-  
LA CATHARTICA QVARTA, RICINI INDICI SEMINA,  
PINEI NUCLEI MOLVCCANI SIVE PVRGATORIL

## §. II.

*De primari-* RICINI VVLGARIS NUCLEVS §. I. num. I. est semen  
cini specie oblongum, ovalis figuræ, una parte gibbum, altera depre-  
seu ricini sum, faba minus, capitellum seu umbilicum in vertice ge-  
vulgaris nu- rens, sub putamine tenui, fragili, lituris nigricantibus & albi-  
eleo. dis ornato glabro nucleus bipartitum album pingue sapore  
subdulci acri nausoso continens. Tria semina in uno fructu tri-  
gono tricapsulari & molliter echinato continentur. Planta,  
quæ hos gerit fructus, dicitur Ricinus vulgaris C. B. P. 432.  
Ricinus sive Palma Christi vel Kiki Gerard: Nambu Guacu  
sive Ricinus Americanus Pison. 180: Avanacœ sive Citava-  
nacu Hort. Malab. 2. 57. Caule, uti scribit Geoffroy, assur-  
git firmo, geniculato, cavo, trium quatuor & plurium cu-  
bitorum, superius ramoso, foliis ferculneis similibus, sed ma-  
joribus, in ambitu digitatim incisis, serratisque segmentis,  
glabris, teneris & ad tactum mollibus, obscure virentibus,  
nervosis, longis pediculis innixis. Flores longa serie thy-  
soide surculo peculiari in ramorum extremitatibus racema-  
tim insident staminei, plurimis scilicet staminibus constan-  
tes brevibus, albidis, ex calyce surgentibus quinquefido ex  
viridi albente, verum steriles sunt. Embryones enim fru-  
ctuum inter eos nascentur subrotundi, virides, cinabriis  
umbilicis insigniti & deinde abeunt in fructus uncialibus  
pediculis innixos, trigonos, molliter echinatos, nigricantes,  
magnitudine avellanæ, ex tribus capsulis compositos axi  
affixis; in quibus nuculæ reconduntur ovatae, nonnihil de-  
pressæ, crassiusculum quoddam capitulum seu umbilicum  
albicantem in vertice gerentes, & parte interiore, qua stylo  
accumbunt, pellicula albicante tenuissime obductæ, con-  
stantes

stantes ex putamine tenui, ex cinereo & nigro vel spadiceo eleganter maculato & medulla candida, solida, substantia amygdalæ haud absimili, oleaginosa, alba cuticula circumvestita, sapore subdulci acri & nauseoso. In Aegypto & variis orientalibus & occidentalibus regionibus frequens nascitur.

§. III.

Ricini semina oleo dulci temperato copioso & substan- Seminum ri-  
tia acerrima & maxime caustica, ut fauces exurat inflammet cini virtus &  
& constringat, gaudent. Præscribuntur in substantia a gra- us.  
nis decem usque ad viginti, in emulsione a drachma dimi-  
dia usque ad unam, sed suadeo, ut omnes ab eorum usu pla-  
ne abstineant, qui alios vitæ periculo subjicere nolunt. Ve-  
hementissima enim & periculi plenissima sunt cathartica,  
nam in admodum exigua quantitate assumta insignem ardo-  
rem, inflammationem & spasmodicam constrictionem exci-  
tant, quin O VIEDUS historiæ Indicæ scriptor refert, quos  
dam Ricino Indico sumto interiisse & PETRUS CASTEL-  
LUS epistol. medic. 252 confirmat, ejus usu aliquos in ex-  
tremum vitæ periculum fuisse adductos, narratque, juve-  
nem novendecim annos natum, robustum, gravitate & do-  
lore capitis affectum, qui ricini Indici granum dimidium  
sumsit manducavit & deglutivit, ventriculi inflammatio-  
nem sibi accersisse & nono die diem obiisse supremum. Pris-  
ci quidem medici noxiā ejus qualitatem tostione & assati-  
one corrigere tentarunt & Wilhelmus Piso tincturam ex ri-  
cini granis cum spiritu vini extractam proponit tanquam mi-  
nus periculosum medicamentum, sed omnes correctiones,  
si non irritae, saltem minus tutæ sunt & securæ, quam ob-  
rem, cum nobis meliora & ad usum tutiora suppetant reme-  
dia, prudentis est, horum seminum usum rejicere.

§. IV.

Oleum ricini, de quo hic sermo est, expressum ad su- Olei ricini  
stinendam lampadum flammarum adhibetur & a cochleari dimi- expressi vir-  
Nicolai mat. med. P. II da. A a dio tus & usus.

dio ad integrum interne sumtum purgare, externe vero applicatum paralysi mederi dicitur. Optime digerit, inquit Galenus, cum subtiliorum sit partium quam oleum commune. Teste Pisone in usu est quotidiano contra affectus frigidos, tum internos, tum externos & laudatur externe adhibitum ad obstrunctiones & tumores resolvendos, tinnitus & suffrum aurium curandum, ventris tormenta & flatulentias discutiendas, vermes expellendos, varias cutis maculas delendas, tineam & scabiem sanandam pediculosque necandos. Dioscorides refert, hoc oleum aquas & lumbricos expellere; quod a Pisone quoque confirmatur. Tres, inquit, vel quatuor guttulae ex conveniente liquore per os vel anum exhibitae sanant frigidos articulorum affectus & simul alvum laxant. STUBBES vero Medicus Anglus in Actis Philosophicis Anglicis num. 36. asserit, expressum ricini oleum nullam omnino vim catharticam possidere, si vel maxime integri cochlearis mensura una vice deglutiatur vel trium per anum injiciatur. A providis & circumspectis medicis plane non usurpatur.

### §. V.

Foliorum ricini virtus & thiolus ferum lactis, in quo folia ricini macerata fuerant, hydropticis felici cum successu ad uncias sex exhibuisse testatur

& Piso eadem folia aqua vel acero macerata herpeti aliisque hujus generis vitiis cutis mederi post Dioscoridem asserit.

### §. VI.

De ricino Americano.

Nucula cathartica altera, Ricini Americani majoris vel potius Ricinoidis Americanae nucleus Cureas dictus, faba purgatrix Indiae occiduae est semen oblongum, ovalis figuræ, fabæ minoris magnitudine, una parte convexum altera depresso, includens sub pellicula corticosa tenui duruscula nigra nucleum candidum oleaginosum bipartitum saporis subdulcis acris & nauseosi. Planta dicitur Ricinoides Americana gossypii folio Tournef. Instit. Rei Herbar. 656: Ricinus Americanus semine nigro C. B. P. 432: Munduy

Munduy Guacu Brasiliensibus Marcgrav. 96. Pison. 179.  
In arboream magnitudinem & molem, juxta descriptionem  
Domini Geoffroy in Traetatu de Materia Medica, medio-  
crem tamen solita est excrescere haec planta in Americanis  
regionibus, patula, ligno molli, medulloso & fragili laete-  
oque succo acri turgido. Rami ejus multi, folia in ramis co-  
piosa inordinatim nascuntur gossypii foliis non absimilia gla-  
bra nitida & saturate virentia. Circa ramorum summitates  
pedamenta quaedam elevantur inaequalia, semipedem quan-  
doque alta, quae copiosissimos flores velut in umbellam dige-  
stos gestant sed parvos, e viridi albescentes, rosaceos, quin-  
que petalis constantes in orbem positis, deforis revolutis, ca-  
lyci multifolio insidentes, staminibusque plenos brevibus  
& albidis, verum steriles sunt. Embryones enim inter eos  
nascuntur calyce obvoluti abeuntque deinde in fructus, nu-  
cis juglandis adhuc virentis magnitudine & forma, unciam  
superantes, turbinatos & utrinque acuminatos tres aut qua-  
tuor simul appendentes, dum teneri sunt, saturate virentes,  
deinde nigros, echinis carentes, in tres capsulas fissiles, in  
quibus singulis semen octo lineas longum, quatuor latum,  
ovale, dorso convexum, altera parte depresso & non nihil  
angulosum, nigro putamine sed tenui circumdato, intus  
alba tenera & subdulci medulla repletum.

§. VII.

Hujus ricini semina insigni pollent virtute purgante De seminum  
per superiora & inferiora eaque ricini vulgaris semen supe- ricini Ameri-  
rant, siquidem tria vel quatuor ejus semina sumta ventricu- cani majoris  
lum atque intestina ita adoriuntur, ut vitæ periculum accer- virtutibus &  
fiant. Ceterum omnia, quae de viribus & usu seminum ricin- ufu.  
i vulgaris adducta sunt §. III. de hisce quoque valent, & oleum  
eorum itidem adversus morbos a causa frigida, tumores & flatus  
discutiendos, nec non hydropis varias species laudatur, si  
ventre illo inuncto, aliquot guttae in vino vel alio liquore con-  
veniente sorbentur vel in clystere applicatur. Artuum  
porro contracturæ & viscerum obstructionibus mederi, al-

vum purgare, vermes expellere, in aurium doloribus & surditate conducere, ulcera capitis psoras & omnia vitia cutis curare perhibetur, si externe adhibetur ad partes eo inungendas vel alio modo, sed nemini usum ejus suadere possum, cum draisticum minus tutum & periculi plenum sit medicamentum.

### §. VIII.

Nucula cā-  
thartica ter-  
tia quid sit. **NVCVLA CATHARTICA TERTIA, AVELLANA PVR-**  
**GATRIX C. B. P. 418, AVELLANA PVRGATRIX NOVI**  
**ORBIS J. B. J. 322.** est semen magnitudine avellanæ, sub-  
rotundum & quasi triangulare, sub putamine tenui pallido  
& fusco includens substantiam candidam medullosum firmam  
subdulcem nec acrem aveilanæ sapore haud absimilem.  
Planta dicitur Ricinoides arbor Americana folio multifido  
Tourn. J. R. H. 656: Ricinus Americanus tenuiter diviso folio  
Breyn. Cent. I. 116. *Hujus plantæ semina non minus pur-*  
*gant quam reliquarum specierum & cum iis ratione virtu-*  
*tum convenient.*

### §. IX.

Granorum  
tilli & ex iis  
praeparato-  
rum virtutes  
& usus. **NVCVLÆ CATHARTICÆ QVARTI GENERIS, RICI-**  
**NI INDICI SEMINA, PINÆ NUCLEI MOLVCCANI five**  
**PVRGATORII, GRANA TIGLIA, GRANA TILLI** sunt se-  
mina oblonga, ovalia, una parte gibba, altera nonnihil  
plana, quatuor levioribus angulis notata & includentia sub  
pellicula corticosa cinerea nucleus albicanter pingue  
oleosum sapore acri exurente & nauseoso. Tanta gaudent  
acrimonia, ut fauces os & reliquas partes internas adurant  
atque inflammat, & insigni cum vehementia molestia ac  
periculo per superiora & inferiora evacuant, ut ipsam colo-  
cynthidem superent & vitam sanitatemque summo expo-  
nant periculo. Cortex blandius purgat quam substantia in-  
terior & vis draistica sedet concentrata in foliolis istis semi-  
nalibus, quæ in media granorum substantia latent, ut & in oleo,  
quod expressione elicetur. Nonnulli ea in forma pilularum  
præscribere & corrigere tentant coctione vel maceratione  
in

in aceto vel urina puerorum vel coniunctione cum Zingibere, opio, saccharo saturni, succo glycyrrhizae aliisve dulcibus viscosis vel aromaticis. Datur integra substantia nucleorum, rejecto cortice exteriore, licet virtute purgante non sit destitutus, a granis tribus ad quinque & unumquodque granum sedem moliri dicitur unam, si aqua vel juscum superbibatur, ita tamen, ut grana tria plerumque quinque efficiant secessus & alvus statim fistatur, si superbibatur largior aquæ frigidæ potus vel pedes vel manus aqua laveruntur frigida vel hæc naribus admoveatur. Exhibitent duo folia seminalia fructus medio inclusa vulgo germen vel cyma dicta ad granum unum vel duo, oleum granorum tilli expressum ad granum unum robustissimis cum oleo ex ricino vulgari expresso, & extractum eorum cum spiritu vini præparatum a granis tribus ad quinque. Petr. Borellus Cent. III. observ. XXIX. p. 221. oleum granorum tilli expressum, si ad guttas duas potui infundatur vel juscule, facilem producere purgationem afferit ejusque usus externus est frequentior ad alvum obstructam reserandam, si umbilicus inungitur guttis ejus duodecim solis vel cum aliis mixtis, ad ani carunculas exedendas, item ad alvum movendam, si odor ejus naribus excipitur. Conficitur ab Indis ex eo pomum regium catharticum, dum in sufficienti ejus quantitate pomum citreum vel aurantium per mensem integrum maceratur, postea exemptum pulvere santali citrini adspergitur, & si manibus affricatur vel naribus admovetur ejusque odor fortiter attrahitur, paulo post alvum movere dicitur. Hæc omnia num veritati sint consentanea & experientiae respondeant, aliis me sagacioribus judicandum relinquo, sed fac, hæc ita se habere, nihilominus tamen nil nisi drastricam corpori humano noxiā & inimicam granorum tilli & ex iis præparatorum indolem manifestant, adeo, ut medicus prudenter agat, si ab eorum usu plenarie abstinet, & eam ob causam, cum tutiora prostent, adhiberi non solent.

## §. X.

**De planta,** *quæ grana tili-*  
*fructu glabro grana tilli officinis dicto Parad. Batav. Pro-*  
*li gerit, ejus-*  
*que ligno.*

Planta, quæ grana tilli profert, dicitur Ricinus arbor  
*fructu glabro grana tilli officinis dicto Parad. Batav. Pro-*  
*drom. Ricinus Indicus arborescens grana Tiglia dictus offic.*  
*Lignum Moluccense foliis malvæ, fructu avellanæ minore,*  
*cortice molliori & nigricante: Pavana incolis C. B. P. Pinus*  
*Indica nucleo purgante ejusdem: Cadel-avenacu Hort.*  
*Malab. 2. 61. saltim Paulus Hermannus & Rajus hæc nomi-*  
*na tanquam ejusdem plantæ synonyma proponunt. In Ma-*  
*labar & aliis Indiae orientalis locis colitur tantique aestima-*  
*tur ab incolis, ut peregrinos ne ad ejus conspectum quidem*  
*admittant. Lignum hujus arboris est spongiosum, leve,*  
*rarum, pallidum, tenui cortice cinereo obductum, saporis*  
*acris mordacis & caustici, saporis nauseosi. Recens & ad-*  
*huc vegetum magna cum vehementia per superiora & infe-*  
*riora evacuat & saepius excitat inflammationem. Siccum*  
*minorem exserit virtutem evacuantem, in minori dosi sudor-*  
*rem elicit & in hydrope, leucophlegmatia & multis mor-*  
*bis chronicis habetur & usurpatur ut specificum. Laudatur*  
*quoque adversus quævis venena tum externe tum interne &*  
*eam ob causam adspergi solet animalium venenatorum mor-*  
*sibus. Pro scopo purgandi datur recens in substantia ad*  
*scrupulum unum vel drachmam dimidiā, vetustum vero*  
*ad drachmam integrā, in infuso & decocto ad unciam di-*  
*midiam. Jungitur mellitis saccharatis vel passulis, Zingi-*  
*beri vel aliis purgantibus, quibus ejus virtutem vel corrige-*  
*re vel augere intendunt, & decoctis vel infusis sudoriferis*  
*loco stimuli additur. In passione hysterica sumunt Indi*  
*radicis curcumæ drachmam unam ligni hujus drachmam di-*  
*midiam redigunt in' pulverem pro tribus dosibus cum infuso*  
*Thee vel lavendulæ exhibendum sed de hominum & ægro-*  
*rūm salute solliciti & prudentes medici illud adhibere non*  
*solent.*

CAPVT

CAPVT XXVII.

DE  
LAUREOLA  
ET  
COCCOGNIDIO.

## §. I.

DUPLEX in officinis asservari solet laureola, una, laureola Laureola of-  
ficinalis quid  
mas, altera laureola fœmina. Hæc posterior dicitur  
& quotu  
étiam Mezereon Mezereum Offic: Chamelæa, Thymelæa  
lauri folio deciduo five laureola fœmina Tournefort Inst. Rei.  
plex sit.  
Herb. class. 20. S. I. G. II: thymelæa folio deciduo, flore  
purpureo, officinis laureola fœmina C. B. Pin. 462. laureola  
folio deciduo five Mezereon Germanicum I. B. 1. 566:  
chamelæa Germanica. Dodon. Pempt. 364: chamædaphne  
five pusilla laurus Advers. Lob. Icon 397: piper montanum  
Gesneri &c. Laureola mas vocatur quoque laureola semper  
virens & daphnoides off: thymelæa lauri folio semper vi-  
rens: laureola semper virens flore viridi C. B. P. 462: lau-  
reola semper virens flore luteolo I. B. 1. 564. Utra-  
que laureola in montibus & collibus sylvosis sylvisque  
opacis fruticat, primo verè floret, antequam folia protrudit,  
& baccæ autumno maturescunt, speciatim laureola mas ex  
radice lignosa, lenta, crassa, longa & multiplici multis sti-  
pitibus lentis subcinereo cortice vestitis fruticat, ad cubitos  
duos assurgens, foliis lauri sed minoribus ad majoris myrti  
folia accendentibus, semper virentibus, nigricantibus, cras-  
sis, glabris, nitidis, utrinque acutis plurimis circa ramulo-  
rum fastigia. E foliorum sinibus egrediuntur pediculi unci-  
ales, crassiusculi, foliolis aliquot concavis velut totidem  
squamis vestiti & in fastigio flores sustinent monopetalos, e  
luteo virescentes posterius fistulosos, anterius in quatuor la-  
ciniis acuminatas divisos, calyce carentes, cum pistillo abe-  
unte in baccam olivæ forma sed longe minorem, primum  
viri-

viridem, per maturitatem nigram, in qua latet nucleus unus durus, cannabis semine paulo longior, medulla interiore candida. Laureola scemina multis etiam stipitibus fruticat ad trium cubitorum altitudinem assurgentibus lantis, teretibus, fractu contumacibus, cortice dupli, exteriori cinereo tenui & interiori extus virente intus vero albicante obductis. Folia e tuberculis plura ab eodem exortu oriuntur, foliis laureolæ maris minora, tenuiora, molliora, nec tam obscure sed potius pallide virentia, nec ita splendentia. Flores ejusdem sunt formæ sed purpurei, ex pallido rubicundi, ratione coloris ad flores persicorum accedentes, suaves, longe elegantiores & boni odoris cum staminibus aliquot croceis. Baccæ primo virides sunt, postea evadunt rubræ & tandem per maturitatem fuscæ & nigræ, præterea eadem, qua baccæ laureolæ maris, gaudent indole magnitudine & figura.

## §. II.

Vires & usus partium lau- Utriusque laureola semina folia & tam stipitum quam radicum cortices tanta acrimonia atque adeo fervida & urente qualitate gaudent, ut masticantis os & fauces adurant, inflammat, constringant & sensum ardoris excitent diu multumque durantem, ad ventriculum & intestina delata vomitus, cardialgias, spasmos & dolores vehementes, arrofiones, inflammations, haemorrhagias, hypercathartes & virium defectum producunt. Eam ob causam nonnulli haec corrigerent tentarunt macerando in aceto, succo mali cydonii, Punici, portulacæ vel mucilagine seminis psyllii vel viño vel alio modo sed irrito plane conatu, siquidem hujus plantæ folia cortex & baccæ, quomodocunque præparentur vel corrigantur, malignitate sua penitus privari nequeunt, quam ob rem jure meritoque a medicis prudentioribus & saluti ægrorum studentibus rejiciuntur ut noxia, consentientibus ipsis Mauritanis, qui has plantas terræ leones & plantas viduificas cognominant.

## §. III.

§. III.

Baccæ, grana, fructus, vel quodcumque aliud nomen Coccognidii tibi arrideat, laureolæ seu mezerei dicuntur vulgo **cocco**-descriptio.  
**G NIDION**, ab aliis semina coccognidii grana coccognidii. Magnitudine & forma referunt grana piperis & tribus circumdantur corticulis, prima exteriori fufca, altera huic subiacente glabra viridescente splendente tenuissima & tertia eaque ultima nigricante. His corticulis inclusus hæret nucleus internus magnitudine semen cannabis æquans, &, si recens est, albus. Optimum vel potius pessimum coccognidium affertur ex Italia. Mala & deleteria virtus coccognidii non tam in duabus corticulis exterioribus quam potius in interno albo nucleo maxime concentrata hæret neque coccognidium gustu exploratum semper statim in initio, sed plerumque postea brevi tempore præterlapsa dolorem urentem atque ardentem excitat, qui per longius tempus durat neque facile tolli potest, quomodo cumque id tentetur.

§. IV.

Ex analysi chemica, quam cum coccognidio instituit Partes constitutivae b. Neumannus, vide ejusdem Chemiam Medicam Dogmatico-Experimentalem a Dom. D. Kessel editam Vol. II. coccognidii.  
Part. I, apparet, illud constare maxima ex parte ex terreis partibus non solubilibus in aqua & spiritu, siquidem harum quatuor drachmæ cum dimidia in uncia una coccognidii continentur. Porro experiundo deprehendit, quod præter memoratas partes terrestres unciæ uni coccognidii quinque scrupuli cum dimidio & grana septem partium gummosarum, & quinque scrupuli & dimidius partium oleosarum insint. Obtinuit ex uncia una coccognidii ope spiritus vini rectificatissimi duos scrupulos extracti resinosi & partes quoque vere & manifeste salinas item paucam aquam deprehendit. Uncia una coccognidii dedit extracti aquosi secundi duos scrupulos & grana tredecim & extracti spirituosi secundi scrupulos quatuor & grana octo.

Nicolai mat. med. P. IIIda.

B b

§. V.

## §. V.

**Quantitas &** Partes coccognidii salinæ ex majori ejus quantitate se-  
**qualitas par-** parari & separatae sub forma salis visui sitti possunt, quod  
**tium salina-** vero cum minori coccognidii copia non æque succedit, ut-  
**rum coco-** pote cujus partes salinæ, si ea infundendo digerendo & ex-  
**gnidii.** trahendo tractatur, una cum aliis partibus simul extrahun-  
 tur extractisque manent immerſæ. Si gustu explorantur,  
 non acres & causticæ deprehenduntur neque talem, qualem  
 coccognidion, excitant saporem & sensationem sed sapore  
 ad salculinare accedunt.

## §. VI.

**Quantitas &** Oleosæ coccognidii partes indolem & naturam olei ex-  
**qualitas par-** pressi habent & ab aliis partibus probe separatæ insipidæ  
**tium oleosa-** sunt *instar* olei amygdalarum dulcium. B. Neumannus ex  
**rum coco-** quatuor coccognidii *unciuſ* prædicti olei expressi unciam di-  
**gnidii.** midiam & alia occasione ex coccognidio *longe* majorem  
 olei quantitatem allegata §. IV. obtinuit, nihil vero olei  
 ætherei ipſi inesse deprehendit.

## §. VII.

**Aqua destil-** Aqua coccognidii destillata saporem & odorem exhi-  
**lata coco-** bet sed non oleosum. Odor ejus est ingratus & nauseosus  
**gnidii qualis** *instar* herbæ hyoscyami.

## §. VIII.

**Substantia** Substantia coccognidii acris ardens adurens & mordax  
**coccognidii** neque in partibus ejus terrestribus non solubilibus, neque  
**acris ardens** gummosis & pure oleolis, neque salinis & aqueis sedet, uti  
**ubi resideat.** appareat ex supra allegatis §. IV - VIII. Cum igitur præter has  
 partes non nisi resinosa coccognidio insint §. IV, ut in his  
 sedem suam habeat substantia ejus acris ardens & mordens  
 necesse est. Præcipue vero in partibus resinosis subtiliori-  
 bus & tenerioribus hæret, quarum non magna est copia.  
 Si harum granum tantum dimidium cum oleo coccognidii  
 expresso per se insipido commiscetur, valde acrem causti-  
 cam & urentem acquirit qualitatem, easque in primis ex so-  
 lutio-

lutione coccognidii spirituosa lubenter & copiose in se recipit. Partes coccognidii oleosae intime cum aliis ejus partibus, præcipue resinosis, sunt commixtae, id quod exinde patet, quoniam ex eo cum partibus resinosis ope menstrui spirituosi extrahi possunt.

### CAPVT XXVIII.

## DE E V P H O R B I O.

### §. I.

Euphorbium ab Euphorbo Jubæ Regis Mauritanorum Medico & Antonii Musæ, qui Augusti Cæsaris Archia quid sit. ter fuit, fratre ita dictum est substantia gummosa & resinosa in guttas vel lacrymas ex albido flavescentes, splendidas, variae figuræ ut rotundas, oblongas & ramosas, intus cavas concreta saporis acerrimi exurentis nauseosi, odoris expers.

### §. II.

Bonum euphorbium debet esse a sordibus & materiis characteres heterogeneis purgatum, si non perfecte, quodammodo ratione bonitatis eu-men pellucidum, album vel ad summum ex flavo albidum, phorpii. siccum, friabile. Plerumque spinas semina lapillos arenam aliasque materias heterogeneas habet commixtas.

### §. III.

Permulta dantur plantæ species, quæ euphorbium lar-De plants, giuntur, siquidem a Viro summo Boerhave duodecim plan-que largitur tarum species euphorbium suppeditantes aliæque plures in euphorbium. Aëtis Academiae Regiae Scientiarum Parisiensis ann. 1720. & a Commelino in ejus scriptis sunt memoratae, & quamvis nondum adhuc certum est, num euphorbium, quod in nostris prostat officinis, tantummodo ex una eademque proveniat planta, nihilominus tamen hoc extra omnem positum est dubitatio-

B b 2

nem

nem & Rajus Boerhave & Morison confirmant, quod illa species plantæ, quæ maximam euphorbii copiam largitur, sit & dicatur euphorbium, cerei effigie, caulibus crassioribus, spinis validioribus armatum Breynii Prodrom. II. Est Euphorbium cerei effigie Hort. Amstelod. Part. I: tithymalus Mauritanicus, aphyllos, angulosus, spinosus, ex quo Euphorbium officinarum Horti Lugd. Euphorbium vero verum antiquorum Raji & Horti Amstelodam. est illa species euphorbii, quæ in Horto Malabarico Schadidacalli, a Domino d' Isnard Euphorbium trigonum, spinosum, rotundifolium, & a Breynio Euphorbium Indicum, Opuntiae facie, caule geniculato triangulari dicitur. Tournefortius dicit in Tractatu de Materia Medica euphorbium esse fruticem hominis longitudinem superantem, cuius radix crassa exterius fusca interius albicans existit. Truncus est nodosus plenusque spinis, foliis vestitur rotundis sed paucioribus. Floribus gaudet pentapetalis solidis & brevibus e viridi albicantibus. Fructus est triangularis in tria loculamenta divisus, unico fructu semine. Tota planta laete turget acri & corrosivo. Crescit Euphorbium in Africa, præsertim in Lybia in monte Atlas. Incisa planta fundit euphorbium, quod in glebas variae figuræ & magnitudinis ut rotundas, oblongas piso æquales vel maiores intus cavas concrescit. Non est succus inspissatus, id quod ex eo patet, quoniam inspissatio artificialis ejusmodi glebas intus cavas non producit, nec sarcocolla, utpote quæ euphorbio longe carior est, nec succo tithymali adulteratus, sed est potius ipse succus speciei tithymali.

## §. IV.

*Caustica &  
acerrima en-  
phorpii qua-  
lites.*

Euphorbium naribus admotum sternutationem, neque minus cuti applicatum ruborem tumorem dolorem ardenter inflammationem & vesicas excitat, linguae admotum eadem producit phaenomena, quam ob rem jure meritoque inter rubefacientia & vesicatoria refertur. Ex his omnibus patet, euphorbium principio summae activitatis subtilissimo acerrimo caustico inflammante & arrodente esse præditum. Eam ob causam non sine magna molestia terendo in pulverem

rem redigi potest: nisi enim sub tritura vultus nares & oculi probe defenduntur, magnas pollent & volatilis substantia euphorbi excitat molestias & periculosa symptomata, ut oculorum inflammationem, dolorem, sternutationem, quae vix coerceri potest, narium ardorem & id genus alia mala.

§. V.

Extractio euphorbi aquosa & spirituosa aequalem ex-partes extracti quantitatem largitur, quod patefacit, illud esse gum-phorbi commi-resinam. Caustica acredo maxime in partibus hæret resinosis. Infusum enim spirituosum tam fervida gaudet acrimoniam, ut piperis acerrimi instar, licet portiuncula vel minima degustetur, linguam, palatum, fauces & labia vehementissime urat, mordeat & pungat, immo inflammet. Tanta præterea ardor inhæret pertinacia, ut, quæcunque adhibeantur, non tam cito extingui queat. Extractum spissum colore pallide aureo & pari immo majori quam infusum acreidine est præditum. Infusum aquosum, quod colorē pro diversitate euphorbi varium modo flavescentem modo brunneo-rubescētem habet, remissius est, linguæ saporem amarum, cum leni duntaxat acreidine mixtum, imprimis, sub evaporatione constanter subtilem halitum acrem emittit, qui naribus exceptus pruritum & sternutationem excitat; unde patet, hoc principium esse volatile. Extractum ad justam consistentiam redactum & prorsus refrigeratum odore caret & moderata duntaxat amaritie & acreidine est præditum. Sub initio degustationis acredo vix sentitur, postea autem fortior evadit & linguam ac fauces satis diu ardore quodam ac subtili punctura, quamquam longe mitiori, quam infusum & extractum resinosum, afficit. Denique notandum est, quod omnia posteriora extracta tam resinosa quam gummosa prioribus & gummosa resinosis longe inferiora sint acrimonia.

§. VI.

Ob indolem causticam, inflammantem atque erodentem usus euphorbiū nullo modo interne adhiberi potest tuto. Nonnulli phorbi.

quidem noxiā ejus qualitatem corrigere tentarunt per accida, ut acetum, succum citri, spiritum vitrioli, alii per alcalīca, ut oleum tartari per deliquium, spiritum salis ammoniaci, multi per oleosa & mucilaginosa, ut oleum amygdalarum dulcium, gummi tragacantha, quidam tostione affatione solutione aliisque modis, sed omnibus correctionibus, cujuscunque sint generis & modi, nulla fides est habenda. Immo externus euphorbiū usus non minorem postular cautionem, in primis, si ad remedia sternutatoria in pertinaci narium obstrūctione, muci visciditate, serosis & pituitofis capitī affectibus chronicis atque rebellibus haud raro proficua & exhibenda adhibetur. Unguenta quoque & emplastrā ingreditur rubefacientia & vesicantia in paralysi & affectibus soporofis applicanda, nec contemnendam exserit in carie ossium & tumoribus scirrhosis malignitatis cancerosae adhuc expertibus utilitatem, si prudenter adhibetur. Ad cariem ossium tollendam vel essentia vel pulvis ejus isque vel folius vel, quod melius est, cum pulvere radice iridis Florentinæ & mastiches mixtus, ad tumores vero scirrhosos resolvendos in oleo lini olivarum vel amygdalarum dulcium solutum adhibetur & Hermannus hoc remedio tumores scirrhosos brevi tempore ut tribus vel quatuor diebus sustulit. Essentia præparatur ex euphorbio ope spiritus vini rectificatissimi digerendo & ad usum externum in carie ossium adhibetur. Extractum resinorum ex euphorbio præparatur vel modo ordinario vel ex euphorbio ope aceti rosarum antea extracto, qua ratione evadit mitius. Ad oleum euphorbiū quod attinet, hoc duplex est, unum, quod est usitatissimum & in officinis reperitur, dicitur oleum euphorbiū correctum & præparari solet ex euphorbiū pulvere opere coctionis cum olei cheirino vel majoranae, interdum addito vino, sed hæc coctio hic noc quadrat & præstat, hoc oleum sine coctione & vini additamento, sola tantum infusione cum oleis prædictis præparare. Alterum euphorbiū oleum, quod in officinis non prostat & pro chirurgico usu paratur, conficitur ex olei terebinthinae uncia una, spiritus vini draconis

chma una & euphorbi drachma dimidia. Qui in carie ossium non essentiam sed pulverem euphorbi adhibent hoc utuntur vel solo vel cum pulvere iridis Florentinæ & mastiches spiritu vini rectificato irroratis, & qui euphorbiū scopo errhino ptarmico usurpant, vel pulveris euphorbiī scrupulum unum miscent cum dimidia vel integra uncia radicis iridis Florentinæ, vel, si iis forma liquida placeat, drachmam euphorbiī dimidiā vel integrā coquunt cum aquaē simplicis vel liliorum convallium vel majoranæ libra una & hujus decocti guttas aliquot naribus admovent vel iis attrahi jubent.

### CAPVT XXIX.

DE

## RADICE POLYPODII.

### §. I.

**R**adix polypodii est minimi digitii crassitie, foris rufescens, Radix poly-  
intus herbacea ex viridi pallescens, multis nodis & ro- podii quæ &  
phis quasi acerabulis geniculata, odoris debilis ingrati, sa- qualis sit.  
poris nauseosi ex dulci acriusculo & subadstringente com-  
positi. Planta est epiphylospermos & in antiquis saltibus  
fazorum, in opacis sylvis & montibus ad petras muscidas,  
inter fissuras rupium musco obductarum, in primis vero ad  
radices caudicesque vetustos arborum fagi, coryli & quer-  
cus nascitur. Optimum habetur illud polypodium, quod  
ad radices vel truncos queruum annosarum accretum repe-  
ritur.

### §. II.

Radix polypodii examini chemico subiecta exhibet par- Partes con-  
tes resinofas, gummosas & saponaceas fixiores. Infusum stativæ po-  
ejus aquosum colore splendet saturate aurantio ad brunnum lypodii.  
paululum inclinante, odorem spirat nauseofum & linguae dul-  
cem duntaxat in primit saporem. Extraictum inde paratum  
coloris est brunnei saporis dulcis ac parum adstringentis, odo-  
ris

ris nullius. Infusum spirituosum colore flavo, odore ingratu-  
to & majori, quam aquosum, dulcedine cum debili acre-  
ne mixta pollet. Post inspissationem extractum largitur co-  
lore brunno ad rubrum nonnihil inclinante, odore debili nau-  
feoso, sapore austriuscule adstringente subacri ac parum  
amplius dulci præditum. Hæc experiundo sic deprehendit  
**Excellentissimus Cartheuserus**, cuius Fundamenta Materiæ  
Medicæ Part. I. Sect. VIII. Cap. III. conferantur.

## §. III.

**Virtutum polypodii ex deducio ejus partibus constitutivis.** Radix polypodii vi partium saponacearum fixiorum §. II. virtutem possidet resolventem §. CCCCXCVIII. Sect. VI. Part. II, vi partim resinofarum §. II. stimulantem roboran-  
tem resolventem & calefacientem §. CCCCXCVII. Part. I. sed omnes hæ virtutes ab admixtis gummosis partibus §. II. temperantur & mitigantur §. CCCCLXXII. Sect. VI. Part. I. Vi omnium harum partium lenem producere potest pur-  
gationem §. XXV. XXVI. XXVII. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II.. Cum enim partes resinose & saponaceæ fixiores resol-  
vant & stimulent, alvum subducere possunt §. XXV. XXVI. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II., & gummosæ partes vi viscidatatis suæ adhærendo intestinis eorumque ductus & vasa,  
obstruendo eundem exserere possunt effectum §. XXVII. Cap.  
I. Sect. I. Lib. I. Part. II. quod etiam de reliquis partibus va-  
let, quatenus sunt viscidæ.

## §. IV.

**Ubi proficit radix polypodii.** Cum radix polypodii virtute leniter stimulante robo-  
rante resolvente & blande purgante sit prædicta §. III, in omb-  
bus iis morbis & affectibus conduceat necesse est, in quibus  
alvus non rite suo fungitur officio & ad id est reducenda,  
partes solidæ atonia laborant & fluida spissa sunt & tenacia,  
cujus generis sunt cachexia, malum hypochondriacum, ic-  
terus, melancholia, viscerum ut renum hepatis & lienis, glan-  
dularum mensium & hæmorrhoidum obstrunctiones febres-  
que intermittentes. Maxime landatur hæc radix in tussi, ca-  
tarro

tarrho & asthmate neque hæc laus destituitur fundamento, quoniam his in affectibus mucus viscidus & tenax est resolvendus & ad expectorationem aptus reddendus, humorum ferosorum ad pulmones congestio purgatione mitiganda, pulmonisque tonus debilitatus roborandus, quæ omnia præstat radix polypodii §. III. Vi virtutis resolventis §. III. diureticum quoque exserere potest effectum §. CCCXLVIII. Sect. VI. Part. I, qui ei quoque a medicis attribuitur, quam ob causam hoc etiam respectu in morbis prodesse potest. Vix sola exhibetur sed cum aliis in decoctis & infusis ad unicam dimidiā & ultra.

### CAPVT XXX.

DE

### CVSCVTA ET EPITHYMO.

#### §. I.

Duplex in officinis occurrit cuscuta, major & minor, quæ Cuscuta quæ posterior etiam epithymum vocatur. Utræque plantæ qualis & sunt singulares, quæ radicibus suis gaudent, quam primum quotuplex e semine erumpunt, quæ vero aridæ sunt & pereunt, quando cuscutæ capillamenta vicinas amplexantur plantas. Foliis destitutæ sunt nec aliud proferunt nisi capillamenta subrubentia, fidibus testudinum non absimilia, saporis acris & subadstringentis, quæ tuberculis quibusdam veluti cotyledonibus radicum locum sustinentibus ita figuruntur in corticem vicinarum plantarum, ut vasa succum nutritium vehentia lacerent, quam ob causam jure meritoque ad plantas parasiticæ recenserit debent. Flores sunt monopetali albi vel subrubentes campaniformes multifidi urceolis similes per capillamenta digesti, ex quorum calyce surgit pistillum posticæ floris parti instar clavi infixum, quod decidentibus floribus abit in fructum subrotundum, angulatum, monocapsularem, transversim in duas partes hiantem, seminibus tenuissimis foetum. E semine in terram decidente quotan-

T Nicolai mat. med. P. II da.

Cc

- nis

nis se renovant cuscutæ. Proprie sic dicta cuscuta est ea, quæ lino adhæret & quæ aliis adnascitur plantis, ab iis suam accipit denominationem, & , prout thymo lavendulæ & marrubio adhæret, dicitur epithymum, epilavendula, epimarrubium, & a plantis, quibus adhæret, qualitates & vires mutuari dicitur pro plantarum diversitate varias. Sic, quæ lino implicatur, humidior, quæ genistæ adhæret, urinam potenter movere, quæ rubiæ infidet, adstringendi facultatem admixtam habere, quæ in urtica nata, urinæ pellendæ efficax dicitur: quæ num solido nitantur fundamento, aliis dijudicandum relinquunt. Cuscuta nostras diversis adnascitur plantis & minus frequenter in usum recipitur sed potius hujus loco duo cuscutæ genera, Creticum nempe & Venetum adhibentur. Creticum ex longioribus constat capillamentis, Venetum tenuioribus odoratioribus & quasi crispatis.

## §. II.

**Virtutes &** Efficacia cuscutæ gaudent leniter stimulante, resolvens cuscutæ & laxante aliisque, quæ hinc dependent, virtutibus ut roborante & diuretica, quam ob causam etiam in iis morbis, in quibus humores spissi & tenaces sunt resolvendi, partes solidæ leniter stimulandæ & roborandæ alvusque ad suum est redigenda officium, ut in malo hypochondriaco affectibus melancholicis obstructionibus viscerum & morbis hinc oriundis ad infusa usurpari solent, raro solæ sed cum aliis ad pugillum unum, duos tres vel quatuor. B. Georgius Wolfgangus Wedelius peculiarem de cuscuta scripsit dissertationem, in qua vires ejus pluribus sunt expositæ, ad modo dictas vero commode reduci possunt. Aperiendi leniterque laxandi scopo plerumque usurpantur. Non diu & fortiter sunt coquendæ, nam vis coctione abigitur.

CAPVT

## CAPVT XXXL

DE

## RHAMNO CATHARTICO.

**R**hamnus catharticus seu solutivus, spina infectoria, spina Indoles vireas cervina est frutex & arbuscula flore monopetalo infun- & usus rham-  
dibuliformi quadripartito, e cuius fundo stamima surgunt <sup>ni</sup> cathartici.  
cum pistillo, quod postea abit in baccam mollem, succi ple-  
nam, quatuor plerumque seminibus figura fere triangulari  
foetam. Crescit juxta sepes, in sylvis aliisque locis incul-  
tis, amat scrobes & rivulos familiarisque est tractui circa  
Rhenum. Bauhinus novem hujus fruticis species recenset,  
e quibus sexta solutiva seu cathartica nostra est, quae baccas  
fert. Hæ sunt baccis frangulae pares, nisi magnitudine, si  
maturæ, nigræ & succo virente plenæ, sapore amaro & le-  
niter adstringente, qui facile gustanti movet nauseam. Ro-  
borant, resolvunt & satis efficaciter humores per alvum  
evacuant, & in affectibus præsertim hydropticis, pituitosis &  
cachecticis commendantur. Dosis baccarum recentium con-  
stituant baccæ numero decem usque ad viginti, si vero ari-  
dae sunt, teruntur in pulverem, qui ad drachmam unam &  
dimidiā usque adhibetur. Si immaturæ sunt, continent  
succum luteum, maturæ vero viridem & ex eo conficiunt  
infectores colorem viridem, qui dicitur Safftgrün. Succus  
recens datur hydropticis ad aquas eorum evacuandas ad  
drachmam dimidiā vel ultra & præcipiunta uctores, ut sta-  
tim post ejus assumptionem potus vel cibus offeratur, quo  
tormina præcaveantur, quæ alias sequi solent. Praeparatur  
ex baccis his famosus ille syrups domesticus, qui etiam  
syrups de rhamno cathartico seu de spina infectoria nomi-  
natur. Resolvit purgat & serum evacuat satis bene & effica-  
citer. A multis magni nominis medicis maxime commen-  
datur ad hydropeam, cachexiam aliquosque morbos, quin apud  
ipsos infantes usus ejus locum invenit, quibus ad meco-  
num expurgandum a vulgo datur & paulo adultioribus ad

Cc 2

lactis

lactis coagulum educendum, quos effectus etiam blande & sine tormentibus producere solet, si qua ipsius usui jungantur absorbentia. In adultis commendatur præsertim in hydrope, in quo saepius eum profuisse medicos experientia docuit saepissime. Datur a drachma una vel duabus ad unicas duas usque, observatumque fuit tormenta nulla excitari, si post assumptum illum cibi aliquid assumatur.

## CAPVT XXXII.

DE

## FLORIBVS LAXANTIBVS.

## §. I.

Quinam flo-  
res purgent  
& speciatim  
de floribus  
acaciæ no-  
stratis.

**A**d flores laxantes pertinent flores acaciæ nostratis seu pruni sylvestris, perficorum, rosarum violarum & liliorum convallium. *Ope examinum chemicorum legitimo modo institutorum detegi potest, partes florum acaciæ nostratis constituentes esse spirituosas, saponaceas volatili-ores & fixiores, gummosas & resinosas, & vi harum memoratarum partium virtutem iis competere potenter resolventem, satis efficaciter stimulantem, roborantem, humores commoventem & calefacientem, ex demonstratis §. CCCCVII - DCI. Sect. VI. Part. I. appareat. Reliquæ vir-tutes, quæ ipsis attribuuntur, ut diuretica purgans & anthel-mintica, a dictis dependent viribus: nam quæ stimulando & resolvendo agunt, urinæ fluxum promovere & alvum subducere possunt §. CCCXLVIII. Sect. VI. Part. I. & §. XXVI. Cap. I. Sect. I. Lib. I. Part. II. & quæ purgante sunt instructa virtute, anthelminticam quoque exserere pos-sunt effectum. Cum igitur tam diuresin quam alvum mo-vendo impunitates humorum e corpore eliminent, viscidos & tenaces humores resolvant, obstructions referent, & robur laxum restaurent, patet ratio, cur ad purificandos humo-res in scorbuto, scabie, hydrope, ictero, obstruktionibus viscerum, ulceribus, ad renes repurgandos a medicis com-men-dentur.*

dentur. Eorum manipulus in aquæ vini cerevisiæ vel omnium optime & sèpissime serì lactis libra una maceratur & bibitur ad laxandum. Recentes efficacius per alvum evacuant quam vetusti. Prostat in officinis

I) aqua florum acaciæ, quæ resolvit & diaphoresin movet leniter.

II) conserva florum acaciæ, quæ alvum blande subducit & reliquas florum recentium virtutes possidet sed minorres.

III) syrupus florum acaciæ, qui alvum movet cum leni adstricione. Datur teneræ ærati per parva cochlearia, in adultiori additur infusis & decoctis laxantibus ad unicas duas & amplius. Etiam sero lactis potest adjici.

### §. II.

Flores liliorum convallium constant ex partibus spiritu- De floribus osis saponaceis fixioribus gummosis & resinosis atque exinde liliorum nanciscuntur virtutem blande stimulantem, roborantem re- solventem, humores leniter commoventem & calefacien- tem §. CCCCXCVII. CCCCXCVIII. DI. Sect. VI. Part. I. Recentes exserunt virtutem laxantem, quæ in reliquis eorum virtutibus est fundata, si in vinum vel aquam infunduntur. Extractum eorum ad drachmam dimidiā exhibitum etiam alvum moveret. Sicci & sub pulveris forma naribus attracti sternutationem excitant, quod, sicut aliis purgantibus, ita ipsis est commune & virtutem eorum stimulantem probat, quam ob rem pulveres quoque ingrediuntur sternutatorios. Beneficio partium spirituosalium & resinosalium partibus solidis stimulum addunt & robur non parvo in gradu, quod experientia confirmat. Præparatur ex iis 1) aqua de- stillata, quæ analeptica nervina & resolvente virtute est præ- dita 2) spiritus, qui majori in gradu quam aqua num. I) ro- borat, discutit & resolvit 3) oleum, cuius virtus partim ex floribus liliorum convallium partim ex oleo expresso, quocum paratuim fuit, est determinanda.

C c 3

§. III.

§. III.

**D**e floribus Rosæ sunt vel pallidæ vel rubræ, & pallidæ vel persarum. Rosæ sunt vel pallidæ vel rubræ, & pallidæ vel perfecte albæ vel purpureæ. Flores rosarum pallidarum, præcipue recentes virtute prædicti sunt purgante eademque tam iufsum quam succus eorum gaudet. Si flores in aquam infunduntur, illa viridi imbuitur colore & sèpius tantam, quantam scammoneum, producere purgationem dicitur, quin flores solo odore in subjectis sensibilibus alvum movisse nec aquam destillatam virtutis purgantis esse expertem, quamvis quidam hoc a contagio venereo per destillationem ipsis communicato derivare velint, asseritur. Retinetur hæc virtus purgans in conserva rosarum pallidarum & syrum rosarum solutivo, qui ex iis paratur & a drachmis duabus usque ad uncias duas exhibetur. E contrario flores rosarum rubrarum virtute potius roborante & adstringente pollent quam purgante.

§. IV.

**D**e floribus persicorum præter virtutem resolventem & diureticam, qua gaudent, alvum fine molestia laxant, hinc hydropticis maxime convenient & aliis affectibus ut cachexiae & obstructionibus viscerum quadrant. Infunduntur in aquam vinum vel serum lactis & tempore potissimum vernali præservandi scopo adhibentur. Infusum vinosum contra vermes laudatur & nonnulli cataplasma ex floribus persicorum & felle tauri umbilico ad expellendos vermes adpliant. Conserva & syrups ex hisce flores parata ad purgandum & contra vermes præscribuntur.

§. V.

**D**e floribus violarum virtutibus accedunt ad præcedentes. violarum. Flores violarum virtutibus accedunt ad præcedentes. Stimulant resolvunt & purgant & præcipue in pectoris affectibus, ut tussi, catarrho & asthmate conducunt, primo, quoniam mucum viscidum & tenacem resolvunt atque ad expectorationem aptum reddunt, deinde, quoniam pulmonibus stimulando majus conciliant robur, & denique, quia con-

congestionem humorum ad pectus purgando imminuunt eorumque motum aliorum determinant. Conficitur ex iis syrups violarum, qui alvum blande subducit, resolvit & pectori maxime conducit. Ex eo cum spermate ceti & oleo amygdalarum dulcium subacto preparari potest linctus vel ele-  
etuarius, quod in tussi & catarrho, ubi materia acrimonia sua nimis pulmones irritat, viæ sunt constrictæ, iis pertinaci-  
ter adhæret, non acris solum sed etiam viscida & tenax  
est & tussiendo ejici nequit, insignem præstat utilitatem:

Recipe olei amygd. dule. rec. drachmas tres  
spermatis ceti recentis drachmas duas  
croci scrupulum dimidium  
syrup. violarum unciam dimidiam  
facchar. candi q. f. ad gratiam & consistentiam

M. D.

Addi quoque possunt olea destillata ut oleum anisi, ligni sassafras & macis, item spiritus salis ammoniaci anisatus de-  
bita in quantitate & loco croci in substantia extractum ejus.  
Hujus generis remedium viscidam & tenacem materiam pulmonibus inhærentem bene resolvit, acrimoniam ejus temperat & hebetat, vias, e quibus humor stagnans expellendus est, spasio constrictas relaxat, dolores spasmos tuſsimque lenit & expectorationem promovet. Flores jaceæ seu violæ tricoloris æque ac priores alvum subducunt & vomitum nonnunquam excitant. Conficitur ex iis quoque sy-  
rupus, qui retinet virtutem purgantem & vomitoriam.

§. VI.

Postremo in genere notandum est, quod omnes hi flo- Quae de flo-  
res adducti recentes longe majori cum efficacia alvi solutio- ribus allega-  
nem aliasque operationes absolvant quam siccati & vetusti, tis sunt no-  
per certum tempus macerari soleant cum aqua vino vel sero tanda.  
lactis vel soli, vel, quod magis usu receptum est, cum aliis  
speciebus liquidumque exhibetur & ad præparationem sy-  
ruporum & conservarum laxantium adhibeantur. Ad mani-  
pulum horum florum sumitur plerumque liquidi, quocum  
sunt macerandi, mensura vel libra una.

CAPVT

## CAPVT XXXIII.

DE

## CENTAVRIO MINORI.

§. I.

Centaurii  
minoris offi-  
cialis de-  
scriptio.

Duae in officinis occurrent plantæ centaurii nomen gerentes & genere diversæ: centaurium majus & centaurium minus. Hujus multæ species, saltim viginti tres, recensentur a Botanicis, & illa, quæ ex his in officinas recipitur, species est centaurium minus Tournefortii, Caspari Bauhini & Dodonæi, centaurium parvum Lobelii, centaurium minus flore rubro Hort. Eyst. centaurium minus vulgare flore rubente Parckinsonii, centaurium minus rubrum Morisoni, centaurium *limneum* Ruellii & centaurea Brunfelsii. Dicitur etiam sel terra ob amaritudinem, & gentiana hydropica Hoffmanni Flor. Altorff. aliisque insignitur nominibus. Amat loca sicca, arenosa, herbosa, aratro non proscissa. Radicem habet parvam, candidam, lignosam, fibris præditam, caulem plerumque quadrangularem, intus cavum, ramosum, folia virentia, parva, non lata, tribus nervis prædita, forma foliorum plantaginis sed minora & minus lata, alia prope terram sparsa & collecta, alia in caule bina ex adverso posita & certis intervallis sejuncta. Flores in summis rāmulis velut in muscarium nascuntur monopetalii, infundibuliformes, multifidi, eleganter & maxime rubro colore prædicti. Calyx florum e quinque constat foliis acutis, ex quo surgit pistillum, quod infimam floris partem perfodit.abitque in fructum semiunciam longum, cylindraceum, membranaceum, bicapsulare, in duas carinas hiantem & seminibus foetum utplurimum exiguis. Facie externa ad hypericum, origanum, rutam, gratiolam, lychnidem, tertianariam Tabernæmontani vel lysimachiam rubram Caspari Bauhini aliasque plures plantas accedit sed differt ab his floribus colore aliisque characteribus. Omnibus annis non

non æque facile & copiose crescit & æstate existente sicca & fer-  
vida vix vel difficulter & minus copiose provenit.

§. II.

De centaurio minori ad usum expetuntur medicum pars  
ejus suprema foliis & floribus referta, quæ nomine summita-  
tum insignitur. Petala florum vix sensibili gaudent amaro-  
re longeque minori, quam folia viridia & reliqua pars viri-  
dis plantæ.

Quid de cen-  
taurio mino-  
ri in usum ce-  
dat medi-  
cum.

§. III.

Si summitates centaurii minoris aqua & spiritu vini a Partes con-  
plegmate depurato extrahuntur, deprehenditur, illas con-  
stare ex partibus resinosis gummosis & his implicitis salinis  
acidis. Partes resinosæ, si gustu explorantur, maximam ex-  
hibent amaritatem, gummosæ a resinosis liberatae nullam,  
saltim vix sensibilem, adeo, ut eas, si quem possident ama-  
rorem, illum partibus resinosis adhuc immixtis debere, ex-  
inde appareat. Si summitates hæ recentes destillationi subji-  
ciuntur naresque vasi recipienti admoventur, odoratus maxime  
afficitur, ita, ut sternutatio excitetur vel lacrymæ exprimantur,  
id quod luculentum præbet documentum, summitatibus his  
inesseret substantiam volatilem penetrantis & stimulantis effica-  
ciam, quam salino-sulphureæ indolis esse afferere nullus du-  
bito. Denique summitates has ingrediuntur partes terrestres  
& aquæ, illæ in majori quam hæ copia. Celeberrimus  
Neumannus, uti in ejusdem Chemia Medica Dogmatico-  
experimentalia a D. D. Kessel edita Vol. II. Part. I. pag. 419.  
legitur, impetravit ope spiritus vini rectificatissimi ex uncia  
summitatum centaurii minoris tres drachmas & duos scrupu-  
los extracti resinosi seu spirituosi primi, ex residuo exsiccato  
ope aquæ duas drachmas & unum scrupulum extracti gum-  
mosi secundi, ita, ut duæ tantum drachmæ vel pars quarta  
remanserit, quæ in aqua & spiritu solvi non potuit. Inver-  
so modo extracta uncia harum summitatum, id est, primo  
cum aqua extracta dedit extracti aquosi primi drachmas  
quinque & scrupulum uuum, residuum vero exsiccatum &

Nicolai mat. med. P. II da.

Dd

cum

cum spiritu vini rectificatissimo tractatum extracti resinosi secundi duos scrupulos, ita, ut iterum duæ drachmæ residui remanserint. Secundum hanc proportionem Viro sèpius laudato b. Neumanno libra una summitatum centaurii minoris largita fuit decem uncias quinque drachmas & scrupulum unum extracti aquosi.

§. IV.

Virtutum  
centaurii mi-  
noris deter-  
minatio.

His fixis & stabilitis pedem ulterius promoveamus & virtutes centaurii minoris ex partibus ejus constitutivis eruamus. Substantia volatilis acris salino-sulphurea penetrantis efficaciam centaurii minoris §. III. quid aliud efficere potest quam stimulationem partium solidarum, resolutionem atque alios, quae hinc dependent effectus, qui sunt acceleratio & impetus major motus humorum progressivi & intestini, calor, augmentum roboris partium solidarum, secretionum atque excretionum §. CCCC-CCCCIX. Sect. VI. Part. I? Partes salinae centaurii minoris §. III. eosdem producunt adeoque augent effectus, nam itidem stimulant & resolvunt §. CCCCLXIV. Sect. VI. Part. I. Partes centaurii resinosa §. III. virtutem quoque exercent stimulantem roborantem resolventem & calefacentem §. CCCCXCVII. Sect. VI. Part. I. Gummosae denique partes §. III. reliquarum partium virtutes temperant §. CCCCLXXII. Sect. VI. Part. I. Prædominatur igitur in centaurio minori virtus stimulans resolvens roborans & calefaciens & ab his viribus reliqua, quas possidet, dependent. Cum vero ea, quae humores resolvendo & stimulando agunt, purgationem excitare possint §. XXV. XXVI. Cap. I. centaurium quoque minus alvum solvere porest, id quod ab eo actu fieri, docet experientia. Longe efficacius autem per alvum operationem suam exercet recens quam siccum & vetustum.

§. V.

Virtus cen-  
taurii mino-  
ris in febri.

Indicationes in curatione febrium intermittentium requirunt, primo, ut humorum tenacitas & visciditas resolvatur, deinde, ut robur partium solidarum laxum restauretur & deni-

denique ut praesentes in primis viis cruditates per alvum bus intermit-  
eliminentur, cruda & viscida in massa humorum haerentia teutibus.  
sed decenter resoluta & ad excretionem apta reddita per  
eandem viam excernantur. Jam vero omnibus his indica-  
tionibus satisfaciunt summitates centaurii minoris §. IV,  
quam ob rem maxime salutarem in febribus intermittentibus  
debent exferere efficaciam. Hujus asserti veritatem con-  
firmat Rulandus, qui, referente Ettmullero, plerasque febres  
intermittentes, premisso vomitu solo florum vel herbæ  
centaurii minoris decocto curavit, chronicas vero radice  
afari cum centaurio minori conjuncta sustulit.

### §. VI

Hæmorrhoidum & mensium fluxus non legitime suc- Virtus cen-  
cedit & supprimitur, si sanguis non debitam possider fluidi- taurii mino-  
tatem sed nimia visciditate & tenacitate laborat, humores ris in sup-  
tarde moventur & ad orgasmum, qui ad expellendum san- preso men-  
guinem requiritur, non sunt proni vasaque debilitate labo- ssum & hæ-  
riant. Restitutio igitur menstrui & hæmorrhoidalis fluxus a dum fluxu  
memoratis causis suppressi postulat harum sublationem. Sed  
hoc praestant centaurii minoris summitates, utpote quæ te-  
nacem & viscidum sanguinem resolvunt, ejus motum atque  
orgasmum augent & vasa roborant §. IV. Quam ob rem  
summitates centaurii minoris mensium & hæmorrhoidum  
fluxum, si a determinatis sufflaminatur causis, promovere  
& restituere possunt. Confirmat id testimonio illustris  
**GEOFFROY**, qui in Tractatu de Materia Medica Tomo III.  
pag. 277. scribit: summitates centaurii minoris hæmorrhoidales  
venas aperiunt & menses provocant, & ibidem alio lo-  
co: centaurium minus ad suppressum hæmorrhoidalem flu-  
xum revocandum tum interno usu tum externa affrictione  
conducit. Consentientem quoque hac in re habeo experien-  
tiissimum Dominum Professorem Junckerum, qui in Thera-  
pia Generali pag. 115. centaurium minus, inquit, magis in-  
festum est vermibus & ad fluxum mensium aliquantum promo-  
vendum & hæmorrhoides elicendas confert.

Dd 2

§. VII

## §. VII.

*Virtus cen-* Cum summitates centaurii minoris virtutem possideant taurii mino- resolventem §. IV, diaphoresin & diuresin excitare possunt ris diaphore- §. CCCXLVIII. Sect. VI. Part. I. Has virtutes iis quoque attribuit tica & diu- laudatus Junckerus, qui l.c. inquit: centaurium minus facultati retica.

digerendi, resolvendi & emundandi neque solum urinam sed & alibi diaphoresin, alibi quoque alvum paululum cendi continet. Hæc quoque virtus centaurii minoris diaphoretica mihi videtur esse causa, cur illud a Palmario in morbis contagiosis ut specificum commendetur, atque idem ei adscribit vim sudorem eliciendi.

## §. VIII.

*Virtus cen-* Quamvis demonstrare nequeo, centaurium minus no- taurii mino- strum idem fuisse, quo veteres olim fuerunt usi, nihilomi- ris contra morsus ani- nus tamen silentio hic præterire non possum, a veteribus tanti fuisse habitum centaurium minus, ut inter opera Gale- tanti fuisse habitum centaurium minus, ut inter opera Gale- no adscripta integer reperiatur *libellus de virtute centaureæ* inscriptus, in quo Simon Pauli duo observavit notatu di- gna, primum, nimirum veteres vel saltem autorem illius libri extracta conficiendi modum cognitum habuisse atque compertum, quia centaurii extracti conficiendi modus accu- ratisime ibi fuit propositus: alterum, quod veteres sum- mam huic plantæ attribuerint efficaciam curandi canis rabidi aliorumque venenatorum animalium morsus. Hoc sine du- bio commotus Julianus Palmarius eam accepit ad præpara- tionem sui pulveris contra rabiem, quem adeo probatum esse dicit, ut nullum unquam animal, cui is fuit adhibitus, se vidisse scribat, quod non ex atrocis morbi vel mortis pericolo fuerit ereptum, quacunque uteretur victus ratione, hoc tantum excepto, si partes capitis dentibus superiores non fuerint læsæ vel pars vulnerata non statim a morsu aqua frigida fuerit elota. Pulveris hujus præparandi ratio est sequens:

Recipe foliorum rutæ, verbenæ, salviæ minoris, plàn-  
taginis, foliorum polypodii, absinthii vulga-  
ris,

ris, menthæ, artemisiæ, melissophylli, betonicae, hyperici & centaurii minoris partes æquales. Legantur singula eo, quo pollent maximis viribus, tempore, id est, circiter circa Junii plenilunium & coelo sereno. Papyraceis dein chartis conclusa siccentur seorsim in loco, ad quem neque sol neque pluvia pervenit ne vel nimis exarescant vel situm contrahant. Siccata ad futuros usus asserventur ea lege, ut quotannisrenoventur.

Si necessitas hoc pulvere utendi inciderit, singulorum æquale pondus in pulverem redigatur tenuissimum, qui a drachma dimidia usque ad integrum demorsis quotidie exhibeat ex cochleari cum duplo sacchari vel ex vino vel ex pomaceo vel ex juseculo vel ex butyro vel melle sub electuarii forma jejuno stomacho tribus horis ante cibum. Quamquam autem Palmarius ejus drachmam dimidiad vel integrum sufficere asserit tum homini tum omni animali vel maxime læso, nihil tamen simul impedire putat, quo minus ad tres quartuorve procedamus drachmas, præsertim, si vel longo post mortsum tempore vel nata jam hydrophobia aggredimur curationem. Nonnulli hujus pulveris drachmam unam cum pulveris vipérarum drachma dimidia in vini albi generosi quotidie propinant per novem, nonnunquam etiam per quindecim dies. Vulnus præterea non aqua frigida est lavandum sed siccis linteis vel spongia exsiccatum vino vel hydromelite, in quo prædicti pulveris drachma dimidia fuit soluta, bis terve quotidie fovendum, deinde unguento vel emplastro tegendum, quale in aliis conductit vulneribus. Hæc omnia num revera ita se habeant, ut perhibentur, alii judicent, mihi accuratori scrutinio & pluribus experientiæ testimoniis egere videntur.

§. IX.

Quum centaurium minus cruda & viscida ventriculo De virtute & intellinis inherenteria resolvat, menstrua viscida & ad fo- centaurii mi-  
D d 3 lutio- noris stoma-

chica viscera. lutionem ciborum incepta reddat efficaciora, partes ciborum li & anthel- digestioni & chylificationi inservientes stimulet & roboret minthica. hacque ratione motum peristalticum augeat §. IV, facile est collectu, stomachici & visceralis remedii nomine non esse indignum, appetitum, quem cruditates viscidæ menstruorum inertia & tonus ventriculi & intestinorum debilitatus prosternit, excitare, ciborumque digestionem & chylificationem promovere. Porro, quatenus resolvendo §. IV. viscidum vernium nutrimentum eorumque corpora destruit atque evacuat ope purgationis §. IV, antihelminticam exserit virtutem §. CCCCLI. CCCCLV. Sect. VI. Part. I.

## §. X.

Vires & ntili- Si humores spissi sunt & tenaces vasaque tono privata, tas centaurii facillime obstructiones oriri possunt, quæ tolluntur sublatis minoris in hisce causis. Centaurium minus humores spissos & tenaces obstructioni- resolvit, vasa roborat & motum humorem progressivum & bus. intestinum auger, quo materia stagnans propelli & obstruc- etio tolli potest §. IV. Quid igitur certius esse potest, quam centaurium minus multum in obstructionibus praecavendis & tollendis valere? A longo quoque tempore ei virtus adver- sus hepatis vitia fuit attributa, quod patet ex versiculis se- quentibus, quibus virtutem ejus hepaticam Posthius expressit:

Flos mihi suave rubet, sed inest quoque succus amarus,  
Qui juvat abscessum bilem aperitque jecur.

## §. XI.

Utilitas cen- Cachexiae chloroseos & mali hypochondriaci curatio- taurii mino- requirit, ut tonus partium solidarum labefactatus restaure- ris in malo tur, humores spissi & tenaces ad decentem redigantur flu- hypocho- iditatem, obstructiones viscerum præsentes referentur, alvus driaco cache- aperta servetur, cruda & viscida tum in massa humorum tum in xia & chlo- primis viis hærentia resolvantur & resoluta evacuentur, di- rosi. gestio & chylificatio læsa restauretur, & sanguinis menstrui & hæmorrhoidalis excretio impedita promoteatur. Qui igitur animo secum perpendit, omnibus his memoratis indi- catio-

cationibus satisfacere centaurium minus §. IV. VI. VII. IX. X. illi facile erit, summam ejus utilitatem in malo hypochondriaco cachexia & chlorosi cognoscere.

§. XII.

Hydropem a viscerum obstructionibus, hepatis præ- Virtus & uti-  
sertim & lienis, oriri posse, ex principiis clarum est & per- litas centau-  
spectum pathologicis. Cum igitur centaurium minus ob- rii minoris in  
structiones viscerum referet §. X, eam ob causam in hydrope hydropem.  
a predictis causis producto prodeesse debet. Accedit ad hoc,  
quod centaurium minus serum in hydrope in corpore accu-  
mulatum tam per alvum quam per urinam evacuet §. IV.  
VII. serique visciditytem, a qua sola hydrops nasci potest,  
tollat §. IV. Experientia hanc centaurii minoris virtutem  
confirmat, siquidem Mauritus Hoffmannos solo centaurii  
minoris pulvere duos curavit hydrope laborantes, uti ejus  
testantur observationes hac de cura Ephemeridibus Naturæ  
Curiosorum insertæ, & id mihi videtur fuisse causa, qua  
commotus centaurium minus gentianam hydropicam nomi-  
nauerit.

§. XIII.

Cum centaurium minus virtute gaudeat resolvente Utilitas cen-  
§. IV, sordida vulnera & ulceræ abstergere depurare & ad taurii mino-  
consolidationem perducere potest. Hanc virtutem huic ris in vulne-  
plantæ quoque attribuit illustris Geoffroy, qui in Tractatu ribus & ulce-  
de Materia Medica Tomo III. pag. 279. his se exprimit ver-  
bis: Confert quoque centaurium minus glutinandis vulneri-  
bus recentibus & ulceribus inveteratis, quæ abstergendo  
ficcandoque glutinat & carne replet. Eandem ob virtutem  
abstergentem furfuribus & crustosæ scabiei mederi potest &  
S. Pauli quoque contra furfures & crustosam capitis scabiem  
vix præstantius ullum decoctum reperiri afferit quam cen-  
taurii minoris ex piforum brodio paratum. Hoc enim de-  
cocto si lavetur caput, insigniter furfures & scabiem deter-  
git & simul myriades pedicularum enecat.

§. XIV.

§. XIV.

Modus exhibendi summitates centaurii minoris adhibentur ad infusa præfertim vinoſa, quoniam vinum menstruum est summitatibus centaurii minoris maxime accommodatum, & vix vinum medicatum paratur, quod non ingrediantur summitates centaurii minoris. Pulvis earundem ad drachmam unam præscribitur sed rarissime ob amaritatem & nauseam, quam facile excitat.

§. XV.

De iis, quæ præparantur ex centaurio minori, speciatim aqua & tale. In officinis prostat aqua conserva sal extractum & essentia centaurii minoris. Aqua, si debita cum cautela destillatur, virtutis non est expers, continet spirituosa partem ejusque virtutes §. IV. & §. Dl. Sect. VI. Part. I. Sal centaurii minoris, si vulgari modo præparatur, pauxillum vel nihil de ejus virtute retinet & præ aliis salibus per incinerationem paratis nil peculiare possidet.

§. XVI.

Extracta centaurii minoris eorumque virtutes. Extractum centaurii est vel gummosum vel resinosum, prout vel aqua vel spiritu ardente paratur. Virtus extracti resinosi ex resinosarum, gummosi ex gummosarum partium virtute est determinanda. Resinosum extractum longe maiorem virtutem stimulantem, resolventem & purgantem aliasque vires, quæ ab his dependent, majori in gradu possidet quam gummosum §. IV. & ad drachmam dimidiā exhibitum satis efficaciter alvum subducit. Omnium optimum extractum centaurii minoris paratur cum vino, ut potestate quod non gummosas solum sed resinosas etiam centaurii minoris partes extrahit.

§. XVII.

Modus exhibendi extractum centaurii minoris. Extractum centaurii minoris frequentissimo in usu fuit illustri b. m. Hoffmanno, idque non solum inter pilulas suas balsamicas §. XXII. Cap. V. de aloe descriptas sed etiam inter elexiria visceralia & electuaria antifebrilia recepit. De ejusmodi elexiriis visceralibus exposita fuit §. LXXI. Cap. II. de

de rhabarbaro compositio eorumque utilitas in febribus intermittentibus & morbis chronicis, ut malo hypochondriaco, chlorosi, cachexia & hydrope non satis potest prædicari. Restat igitur tantum, ut ostendam b. Hoffmanni modum exhibendi centaurii minoris extractum sub forma electuarii, & hæc est sequens:

Recipe extracti centaurii minoris

pulveris caryophylli ana drachmam dimidiam  
corticis chinæ drachmas sex  
roob sambuci  
syrupi acetos. citri ana unciam dimidiam

M. f. Electuarium

Hoc utebatur in febribus intermittentibus die intercalari præmissis præmittendis ad drachmam dimidiam vel integrum. Egregium quoque electuarium antifebrile sequens est:

Recipe roob juniperi

conservæ absinthii ana unciam dimidiam  
pulv. cort. chinæ  
cascar. ana drachmas duas  
extract. cent. min. drachmam unam  
syrup. cortic. aurant. q. f.

M. f. Electuarium pro dosi ad drachmam dimidiam vel integrum exhibendum.

Illustris Junckerus summo cum fructu utitur sequentibus pilulis ad haemorrhoidum fluxum promovendum cum aliorum remediorum convenientium usu subjuncto:

Recipe mass. pilular. balsamicarum

ejusd. (§. XXII. Cap. V. de aloe) scrupulum dimidium  
extr. elleb. nigri aquosi  
centaur. min. vinosi ana grana quinque

M. f. pilulæ pro una dosi.

Idem prælaudatus vir in usu habet pilulas viscerales egregiae efficacie in obstructionibus viscerum resolvendis, quas ita componit:

Nicolai mat. med. P. II da.

E e

Reci-

Recipe gummi ammon. in aceto squillitico  
soluti & inspissati scrupulum dimidium  
mercurii dulcis  
aloes gummosæ ana grana quatuor  
extr. ellebori nigri aquosi grana duo  
M. f. pilulae, cujus dosis est scrupulus unus.

Eam ob causam hanc & priorem adduxi formulam ut confirmentur dicta §. XIV. XV. Cap. XXIII. de extracto ellebori nigri, quæ hic conferre ex usu erit. Idem vir egregius in praxi maxime salutari cum fructu adhibere solet Elixir ab ipso dictum resolvens, ad quod recipitur extractum centaurii minoris. Praestantissima gaudet virtute, quæ non satis praedicari potest, & in roborando & resolvendo nulli facile alii cedit remedio. En! formulam:

Recipe extr. centaur. min. vinosi  
card. bened. vinosi  
rhabar. aquosi ana unciam dimidiam  
myrrh. eleætæ  
cort. cascarillæ ana drachmas sex  
macis  
cardamom.  
caryophyllor. ana drachmam unam  
fruct. aurant. immatur. uncias tres  
salis tartari uncias duas  
aqueæ menthæ  
fontanæ ana libras duas

solvantur salis tartari unciae duæ in determinata aquæ fontanæ quantitate, filtretur misceatur & digeratur solutio cum predictis speciebus per aliquot dies, digesta refrigerata exprimantur per linteum crassum, colentur & paululum inspissentur ad elexirii consistentiam. Ter vel quater de die a guttis sexaginta usque ad centum adhiberi potest. Illustris b. m. Hoffmannus nullas facile prescribebat pilulas scopo aperiendi laxandi & anthelmintico, ad quas non sumebat extractum centaurii minoris:

Reci-

Recipe extract. cent. minor.

tanaceti

rhabarb.

asæ foetidæ

myrrh. elect.

aloes gummosæ

mercurii dulcis ana scrupulum dimidium

extr. croci

- castor. ana grana duo

M. f. cum Elixir Propr. Parac. vel ess. succini q. f  
pilulæ ex scrupulo uno quindecim, quæ adulto  
pro dosi exhibenda. Vermes pellunt & laxant.

In hydrope sequentes praescribebat pilulas:

Recipe extract. centaur. min. drachmam unam

ellebori nigri

gummi ammoniac. depur.

elaterii

mercurii dulcis ana drachmam dimidiam

falis succini grana quindecim

M. f. l. a. pilulæ ex scrupulo uno cum essentia  
succini q. f. quindecim, quæ pro dosi exhiben-  
dæ. Possunt quoque ingredientia in æquali  
sumi quantitate. Ratio, cur extractum ellebori  
nigri ingredientis munere hic fungatur, exposita  
est §. XIV. XV. Cap. XXIII. de elleboro nigro.

### §. XVIII.

Neque minus pilulæ quæ egregiam possident virtutem  
resolventem & visceribus maxime conducunt, ex centaurii  
minoris extracto sequenti modo possunt componi:  
Modus exhibendi extra-  
ctum centau-  
rii minoris.

Recipe extr. centaur. min. vinosi drachmam unam

gummi ammoniaci

saponis Veneti

myrrhæ electæ ana drachmam dimidiam

M. f. pilulæ ex scrupulo uno quindecim. Dosis  
est scrupulus unus. Addi potest mercurii dul-

cis

cis drachma dimidia. Si ejusmodi pilulæ viscidos & tenaces non resolvunt humores nec obstructiones referant, hoc certe frustra ab aliis expectatur.

### §. XIX.

**Modus exhib.** Infusum, quod ingrediuntur summitates centaurii minoris, jam supra §. LXXII. Cap. II. de rhabarbaro admittates een. duxi & commode quoque ad infusa antifebrilia sumi possunt taurii minoris exempli gratia:

Recipe pulveris cort. chinæ unciam unam  
rad. gentian. rubræ unciam dimidiam  
summitatum centaurii minoris manipulos duos  
vini Gallici mensuram unam  
digerantur leni calore, colentur &  
addatur syrupi menthæ uncia una.  
Capiatur pro dosi die intercalari  
ter vel bis uncia una.

Illustris b. m. Hoffmannus in Medicina Rationali Systematica Tom. IV. Part. I. Sect. I. Cap. II. Method. Medendi general: §. VII. sequens infusum vinosum adversus febrem quartanam maxime commendat:

Recipe fibrar. ellebori nigri  
polypod. querni  
fol. fennæ fine stip. ana unciam unam  
herb. absinthii  
centaur. minor.  
card. bened.  
trifol. fibrin. ana manipulum dimidium  
rasuræ ligni colubr.  
corticis chinæ  
aurant. recent. ana drachmas tres  
limaturæ martis  
tartari tartarisati ana unciam semis  
**Concisa & contusa irrorentur drachmis duabus**  
**spiritus salis ammoniaci urinosi, misceantur &**  
**duabus**

duabus vini mensuris infundantur. De hoc infuso matutino tempore quotidie liberalem hau-stum sumi jubet. Conferantur hic dicta supra de polypodio & elleboro nigro Cap. XXIII. XXIX.

In hydrope sequens suaderet infusum, quod hic apponere mihi licet, præsertim, cum id non summirates solum centaurii minoris sed alia etiam simplicia jam pertractata ut elleborus niger rhabarbarum & radix bryoniae ingrediantur:

Recipe cort. med. sambuc.

rad. bryon.

irid. nostratis

fibrar. ellebori nigri

rhabarb. elect.

rad. gentian. rubr.

vincetox.

levistic.

cort. aurant. rec. ana unciam dimidiā

summit. centaur. min. pugillos quatuor

caryophyllorum drachmas tres

tartari tartarisati unciam unam

Concisa & contusa fiant species cum duabus vini mensuris infundendæ & ad sextam partem pro dosi bis in septimana bibendæ. Vide ejusdem Medic. Systemat. Tom. IV. Part. IV. Cap. XIV. Thes. Therapeut. §. VI.

### §. XX.

Ope spiritus vini a phlegmate depurati parari potest. Essentia centaurii minoris præparatio vires & usus.  
essentia ex centaurio minori, quæ partes ejus continent resinofitas & ab his suas nanciscitur virtutes, quæ sunt stimulantes, egregiæ resolventes, roborantes & laxantes aliæque, quæ a dictis viribus dependent. Præsertim in febribus intermittentibus egregiam exferit utilitatem. Celeberrimus b. m. Schulz in Praelectionibus suis ad Dispensatorium Brandenburgicum sequentia de ea affert notatu digna, quæ

hic adscribere mihi liceat. Vulgo, inquit, paratur hæc essentia ex summitatibus siccatis, unde acquiritur essentia atrorubens stomachica & anthelmintica, quæ ad guttas triginta usque ad quinquaginta præbetur. Si vero ex summitatibus recentibus præparetur, affuso spiritu non rectificatissimo, tintura fit saturate viridis, quæ ad cochlear unum vel alterum sumta effectum laxativum manifestum edit & febribus intermittentibus, præcipue quartanis, insigniter conductit. Haec tenus b. Schulzius. Prout hæc essentia paratur cum spiritu vini a phlegmate magis vel minus depurato, pro eo etiam ejus virtutes differunt, optime vero conficitur cum spiritu vini rectificato, quoniam partes tam resinosas quam gummosas, quæ centaurio minori insunt, extrahit. Ejusmodi essentia egregiam exserit virtutem stimulantem, roborantem, laxantem, resolventem & anthelminticam. Scopo anthelmintico ita potest præscribi:

Recipe essentiae centaurii minoris

seminis santonici

tinet. rhabar. spirituosæ ana drachmam unam

M. D. S. Mixtura, de qua pro dosi adulto quinquaginta gutrae vel plures sint exhibendæ.

Addi potest, si e re ita visum fuerit, essentia corticum aurantiorum, cinnamomi, gentianæ rubræ, absinthii vel tanaceti nec non ad dolores & spasmos mitigandos essentia croci & castorei,

In malo hypochondriaco & hysterico nihil præstantius est sequenti mixtura, qua etiam Celeberrimus Junckerus creberrime utitur salutari cum effectu:

Recipe ess. centaurii minoris

cascarillæ

millefolii ana drahmam unam

M. Roborat hæc mixtura, resolvit, flatus discutit & dolores & spasmos sedat, unde amplissima ejus & insignis patet efficacia.

Potest quoque alio modo ex centaurio minori essentia anthelmintica & visceralis parari:

Reci-

Recipe summit. cent. minoris manipulum unum  
semin. santon. unciam unam  
herb. tanaceti  
abfinth. ana manipulum dimidium  
rad. gentian. rubr.  
zedoar.  
cinnamomi  
cort. aurant. ana unciam unam  
Extrahatur ex his speciebus concisis & contusis  
ope sufficientis quantitatis spiritus vini rectificati  
Effentia.

Sæpius laudatus Junckerus essentiam suam anthelminticam  
ita confidere solet:

Recipe rad. zedoar.  
gent. rubræ  
aristol. rot. ana uncias duas  
herb. tanaceti  
abfinth.  
centaur. min. ana manipulos quatuor  
Extrahatur lege artis ex his speciebus concisis &  
contusis Effentia.

CAPVT XXXIV.  
DE  
F V M A R I A.

§. I.

Fumaria, Fumus terræ, Cerefolium felinum & columbi. Fumaria  
num, herba melancholifuga est planta flore polypetalo, quæ & qua-  
tenui, oblongo, anomalo, papilionaceo æmulo, ex duobus tan- lis sit planta.  
tum petalis constante, quasi bilabiato, labio superiori in caudam  
abeunte cum inferiori ad pediculum conjuncto. Hæc inter  
labia velut in palato pistillum positum est vagina obvolutum  
cum staminibus aliquot apicibus donatis, quod postea abit  
in fructum membranaceum subrotundum minutum, quo  
semen

semen parvum subrotundum ex nigro virescens saporis amari ingrati continetur. Radix est tenuis, alba, modice fibrosa, recte dimissa, caulis modo unus, modo plures brachiati, angulosi, inanes, glabri, colore partim purpurante partim ex albo virente. Folia sunt tenuiter dissecta ad umbellarum fere modum, cælia, alternatim caulinibus adnata. Flores sunt congesti in spicam, quæ non e folii ala oritur sed ex adversa caulis parte. Nascitur sponte in locis cultis hortis agris ac siccis vias. In usum veniunt summitates, id est, foliola superiora cum floribus caulum summitati adnascentia immo integra herba cum floribus. Intense est amara.

## §. II.

Partes constitutivæ & floridam continere partes resinosa gummosas saponaceas virtutes sufficiiores & volatiliores, ita, ut partes resinosa reliquas tres copia superent. Partes saponaceæ tam fixiores quam volatiliores resolvunt §. CCCCXC VIII. CCCCXCIX. Sect. VI. Part. I. resinosa stimulant, roborant, resolvunt & calefaciunt §. CCCCXC VII. Sect. VI. Part. I. & gummosa partium reliquarum virtutes temperant §. CCCCLXXII. Sect. VI. Part. I. ex quo conficitur, competere herbæ fumariae virtutem stimulantem, roborantem, calefacentem & in primis maxime resolventem aliasque vires, quæ ab his dependent. Cum igitur ea, quæ humores resolvunt & stimulant, alvum movere possint §. XXV. XXVI. Cap. I. fumaria eundem exserere potest effectum eumque reverea ab ea produci docet experientia. Adde, quod omnes fumariae partes, quatenus sunt viscidæ, vi visciditatis suæ ad eundem effectum suum contribuant symbolum §. XXVII. Cap. I. Præterea haec planta, quatenus resolvit, diaphoresin & diuresin excitare potest §. CCCXLVIII. Sect. VI. Part. I, atque, ut ostendam, eam actu quoque has exercere virtutes, placet mihi inter complures illustrem tantum Junckerum allegare, qui eam in Therapia generali pag. 117, ad diaphoretica refert

fert & viribus resolventibus aperientibus, diaphoreticis pariter, ac diureticis conspicuam esse asserit.

§. III.

Perspectis itaque iis, quæ §. antecedente sunt adducta, Ubi condu-  
haud difficile erit collectu, quod fumaria in omnibus iis mor- cat fumaria.  
bis, qui ab humorum visciditate & tenacitate, viscerum ob-  
structionibus & solidarum partium atonia proficiscuntur &  
sustentantur, cujus generis sunt cachexia, chlorosis, ma-  
lum hypochondriacum, melancholia, hydrops, icterus &c.  
magnam exserat utilitatem. Humoribus existentibus spissis  
& tenacibus secretiones atque excretiones, quibus massa  
humorum depuratur, non libere ac expedite succedunt, sa-  
lia excernenda in corpore remanent, fluidaque reddunt  
acriora, stagnationes oriuntur, fluida stagnantia corrum-  
puntur & acriora evadunt, unde pro diversitate salium re-  
manentium arque accumulatorum varii affectus, ut scorbu-  
tus, scabies, oriuntur. His vero malis medentur ea, quæ  
successum excretionum impeditum restituunt, & cum fuma-  
ria hoc præstet tam purgationem quam diurefin excitando  
§. II, ei quoque jure meritoque efficacia adversus ejusmodi  
affectus est attribuenda.

§. IV.

Multis potest probari observationibus, ea, quæ §. præc. Ante-  
cedente viribus fumariae sunt adducta, firmo ac stabili niti fun- tia observa-  
damento. Freitagius in Aurora Medic. asserit, se hypo- tionibus cor-  
chondriacis, in quibus malum usque eo processit, ut scor- robatur.  
butum sibi adjunxerit comitem, aliaque remedia irrita  
fuerunt ac frustranea, succum fumariae & cochleariae in sero  
lactis caprilli, in primis verno tempore, salutari cum suc-  
cessu exhibuisse. Ettmullerus succum fumariae recenter ex-  
pressum cum succo buglossi & sero lactis mixtum & vere  
matutino tempore calide sumtum in morbis cacheoticis &  
melancholicis commendat. Riverius in Observationibus re-  
fert, succi fumariae uncias tres in homine icterum & cum

*Nicolai mat. med. P. II da.*

F f

hoc

hoc coniunctum vomitum curasse. In cutis morbis ut scabie, impetigine, serpigne, a multis commendatur ut specificum & Simon Pauli scabie inquinatos simplici ejus infuso ex sero lactis vel decocto ex cerevisia propinato ab hoc malo liberasse & virgunculæ cuidam nobili septem annos natæ sensibilioris & delicatioris naturæ scabie desoedatae præmissis præmittendis sequenti decocto brevi tempore pristinam cutis pulcritudinem restituuisse refert:

Recipe herbae fumariæ manipulum unum  
fragariæ  
cuscute ana manipulum dimidium  
rad. taraxaci  
acetosæ ana drachmas duas  
cinnam. acuti drachmas tres  
coquantur in seri tamarindinati quantitate sufficien-  
ti, colentur, & clarificata edulcentur cum syru-  
pi berberis q. L Singulis hujus decocti libris  
additis essentiæ plantaginis drachmis duabus  
sumantur unciae sex quavis tertia vel quarta hora.

Camerarius ex Brassavola animadvertisit, hujus plantæ pulvere saepius exhibito quendam a melancholia fuisse liberatum. Exhibitetur pulvis a drachma dimidia usque ad integrum. Succus propinatur ad uncias aliquot & largiori in dosi, si moles ejus nimia id non prohibet. Multi nostratum verno tempore herbam integrum floridam ad manipulum unum in seri lactis libram unam infundunt, leviter decoquunt, & infusum percolatum cum syrapi violarum uncia una propinant. Illustris Junckerus sequens in Therapia Generali pag. 117. de fumariæ virtutibus fert judicium: hodie salubris quoque, inquit, reperitur in primarum viarum vitiis, malo hypochondriaco, morbis chronicis, seroso-lymphaticis, ictero, scorbuto, scabie, statu ulceroso, & aliquantum in venereis inquinamentis.

### §. V.

**Praeparato-**      Præparantur in officinis ex fumaria aqua destillata ex-  
**rum ex fu-** tractum conserva essentia & syrups. Aqua continet par-  
tem

tem saponaceam volatiliorem ejusque virtutem, id est, dia-maria virtus phoreticam & diureticam. Alii eam in variolis & morbillis & usus. lis aliquique febris exanthematicis laudant, alii vituperant, interea hoc certum est, quod coniuncto debito regimine sudorem elicere possit. Extractum, si cum spiritu vini plegmate privato paratur, continet partes fumariae resinoas & saponaceas fixiores, adeoque prædominantem habet virtutem resolventem & stimulanteam, aliasque his superstructas vires. Ad drachmam dimidiā vel integrā datum alvum satis efficaciter subducit. Cum extracto céntaurii minoris spirituoso vel vino ratione virium multum convenit, & vel ei substitui vel cum eo conjungi & in iisdem, in quibus illud, adhiberi potest casibus. Egregiam ibi præstat utilitatem, ubi humores viscidi tenaces sunt resolvendi & obstrunctiones viscerum referandæ, præsertim vero in lymphæ & seri imputritate & morbis hinc oriundis ut scabiosis & venereis, insigniter conductit & commendatur. Conserva iisdem, quibus berba, gaudet virtutibus sed minoribus & ad unciam dimidiā exhibetur. Syrupus assumitur ad elestuaria & decocta massam humorum depurantia, quæ scorbuto, lue venerea, scabie vel alia impuritate curanea laborantibus solent præscribi. Nonnulli externe succum vel aquam destillatam fumariae oculis indita eorum caliginem discutere perhibent & ex succis fumariae lapathi sylvestris & enulae campanæ igne inspiissatis & cum axungia porcina mixtis conficiunt unguentum, quod adversus scabiem & cutaneos affectus perutile prædicant.

## CAPVT XXXV.

DE

## AVRO FULMINANTE.

## §. I.

**S**i auri solutioni ab aqua regis factæ spiritus salis ammoniaci aquosus vel oleum tartari per deliquium seorsim vel minans quid coniunctim instillatur, aurum solutum sub forma limi flavi sit & ejus

Ff 2

præ-  
paratio.

præcipitatur, quod postea aqua simplici lavatum atque edulcoratum dicitur aurum fulminans, quoniam calori externo expositus fulminis instar fragorem edit & magno cum sonitu disploditur, ut evanescat & cum impetu quaevis adstantia conquasset. Nil est nisi calx seu magisterium auri. Si paratur auri solutionem non cum aqua regis sed cum nitro sale communi & alumine crudo decoctione paratam ope olei tartari per deliquum præcipitando & præcipitatum horæ quadrantem calcinando, calx hæc non fit fulminans. Sic etiam vis auri fulminans imminuitur & perit, quando vitrioli vel sulphuris spiritu humectatur, iterum vero restitui potest, si super id bonus spiritus alcalinus volatilis abstrahitur vel eo acidum ejus denuo saturatur posteaque saturatum aqua edulcoratur. Quo magis hæc calx aqua lavatur, eo magis vim suam amittit fulminantem; alias leni calore immo tritu magno cum sonitu disploditur & perditur. Quocirca in exsiccando circumspetione opus est, ne supra fornacem ponatur & calore leviter excedente periculum vel detrimentum inferat tam facilis quam vehemens displosio. Tutius igitur sub umbra vel calore hypocausti, quicquid humidi adhæret, abigitur.

## §. II.

**Virtutes auri fulminantis.** Ex præparatione auri fulminantis liquet, illud esse pulvrum auri præcipitatum, cuius particulis salia acida aquæ regis adhærent §. I. Jam vero ex principiis manifestum est physicis & chemicis, salia eo majorem acquirere activitatem, quo specificè graviores sunt partes, quibuscum combinantur & auri particulæ omnium maximam possidere gravitatem specificam. Qua de re auri fulminantis salia acida vi prædicta esse debent insigni. Cum igitur vis salium acidorum consistit in resolutione & stimulatione, aurum fulminans magnam vim stimulantem & resolventem possidere debet. Quæ agunt resolvendo & stimulando, diuresin, diaphoresin & purgationem excitare possunt §. CCCCII. CCCCXLVIII. Sect. VI. Part. I. & §. XXV. XXVI. Cap. I. Part.

Part. II. Quam ob rem aurum fulminans virtutem purgantem diaphoreticam & diureticam exferere potest. Inquirendum igitur est, num hæc experientia respondeant.

§. III.

In monumentis eorum, qui de materia medica & morib[us] aliquid prodiderunt, obvia sunt testimonia, quibus ab Antecedentiis  
unde eorum, quæ afferui §. II, veritas demonstrari potest.  
Prodeat primum ET MULLERUS, qui de valetudine infantum cap. III. §. 9: aurum fulminans, inquit, magnæ obser-  
vatur efficaciæ, ut non immerito a quibusdam infligniter ex-  
tollatur contra tormina infantum & pertinaces alvi obstruc-  
tiones etiam exinde imminentem epilepsiam. Datur infanti  
aliquot dierum vel etiam unius septimanæ granum unum  
cum tribus granis nitri depurati vel etiam nitri antimoniatii.  
Datur etiam solum, absque addito, in iis, qui jam sunt ali-  
quot septimanarum ad grana duo; propinatur in lacte. Præ-  
ter alios effectus, quos aliquoties miratus fui, tormina fistit,  
horrendas alvi dejectiones promovendo, & insultus epile-  
pticos sopit. Varietas observatur in ejus operatione, nunc  
citius, nunc tardius operatur, debilius itidem aut vehemen-  
tius, prout, uti suspicor, plus minus in ventriculo infantis  
a grumo lactis vel muco pituitoso irretitur & quasi invisa-  
tur. Huic GEORGIO WOLFGANGUM WEDELIUM  
subjungo, qui in *Pharmacia Acroamatica* Lib. II. Sect. IV.  
Cap. II. pag. 397. & Amoenitatibus Materiæ Medicæ Lib. II.  
Sect. II. cap. VII. pag. 357. his se exprimit verbis: magistri  
hoc auri fulminantis maxime activum est medicamen-  
tumque egregium, quod vires habet carminativas in colica  
& tympanitide conspicuas, purgantes, siquidem non adeo  
accurate edulcetur, ob sal sulphureum; sudoriferas, si id  
ipsum fiat, elutriatis salibus; unde & cordiale est & renova-  
tivum & antiepilepticum. BOHNUS de officio medici cap.  
VIX. pag. 281: sine omni molestia fere, ait, evacuant pur-  
gantia in minori dosi exhibita, si modo bina vel trina grana  
auri fulminantis ipsis combinentur. BOYLEUS Useful-  
ness

nessi experimental Philosophy P. II. Ess. V. Chap. V. p. 212. aurum fulminans, quantum ipse confirmare posset, nobilissimum purgans laudat. HANNÆUS in Miscellan. Naturæ Curiosorum Anni X. Obs. CL. p. 238. auri fulminantis admirandam opem in colica consummatissima se aliquoties expertum fuisse testatur. FRID. HOFFMANNUS in Clav. Schroeder. Lib. III. cap. IX. pag. 204: habet aurum fulminans, ait, vim diaphoreticam ad grana tria vel quatuor in convenienti liquore exhibitum, interdum utramque operationem & catharticam & diaphoreticam exercet; prout a salibus magis vel minus liberatum est, magis vel minus etiam sudorem moveret vel purgat, & paulo post: aurum fulminans, inquit, cum saccharo saturni & cinnabari antimonii unitum est in morbis desperatissimis ultimum remedium, etiam in febribus ardentibus malignis. Celeberrimus Vratislaviensis Medicus D. HELWICH in Histor. Morb. anni 1699. p. 10. in febribus petechialibus purgantibus suis apud ditiores etiam pauca grana auri fulminantis certis ex causis addidisse legitur. Adde Responsa Ordinis Medicorum Lipsiensem & Wittenbergensem de innoxia & præstantissima auri fulminantis efficacia purgante & diaphoretica, que in Pancratii Wolffens quondam Medicinae & Professoris in Academia Halensi Defensione auri fulminantis, purgante in febribus acutis, propter orgasmum, tempestivo, tutissimam in febribus secundariis cum symptomaticis, quam in febribus primariis cum criticis abscessibus contra Georgii Ernesti Stahli Doct. & Prof. Publ. Ordin. Diagramma ~~προτερην~~ potius crudæ ~~τερτιαν~~ dicendæ in casu controverso Halensi b. virginis sunt consignata.

## §. IV.

Quanquam celeberrimorum virorum observationes de auri fulminantis virtutibus allegatas §. præced. non in dubium voco, nihilominus afferere nullus dubito, ipsi præ aliis tutis & securis purgantibus nullam singularem competere virtutem spasmos dolores & convulsiones sedantem. Omnia enim

enim hæc mala cum in infantibus a lacte corrupto coagulato & acri & in adultis a cruditatibus viscidis & acribus in primis viis hærentibus orientur, fieri non potest, quin his ope remedii purgantis evacuatis tormina dolores spasmi & convulsiones cessent. Dum a materia flatulenta flatus gignuntur, hi expandendo intestina & ventriculum dolores anxieties spasmos colicam & cardialgiam flatulentam producunt, quæ mala mox sedantur & tolluntur evacuata materia flatulenta. Sic crudum acre ventriculum & intestina irritando inquietudinis dolorum spasmorum, & flatulentiae, ob flatus a spasmis retentos atque incarceratos, existit causa, quo excreto omnia symptomata evanescunt. Nunc quæro ex omnibus, qui hæc probe intelligunt, annon omnia ejusmodi mala commodius facilius tutius & melius alio remedio purgante, ut pulvere rhabarbari cum absorbentibus & sale medio vel alio pro circumstantiarum ratione conjuncto, quam auro fulminante vel non æque bene ac hoc tolli queant? Certe, nemo rei gnarus hoc negare poterit. Si vero eo uti placet, eligatur probe edulcoratum & a salibus liberatum, alias dolores, spasmos atque inflammations facile excitare potest. Quo magis edulcoratur, eo minorem purgantem & eo majorem diaphoreticam acquirit virtutem. Ob salia acida corrosiva, quæ ipsi adhærent, optime datur cum terreis. Dosis ejus est pro adulto a granis sex usque ad scrupulum dimidium. Vomitus aliquando excitat, cuius causa partim in salibus corrosivis magna in copia adhuc ei admixtis partim vero in cupreis particulis auro adhærentibus est quærenda & hinc aurum a cupri confortio, quantum fieri potest, liberatum ad aurum fulminans usui medico destinatum præparandum est eligendum.

CAPVT

## CAPVT XXXVI.

DE

## L A P I D E L A Z V L I .

§. I.

Lapis Lazuli quis & qualis Lapis Lazuli, Lapis Cyaneus, Lapis Coeruleus est lapis quidam pretiosus opacus, ad metallicam accedens durus ejusque usus mechanicus. L quidam pretiosus opacus, ad metallicam accedens durus ejusque usus mechanicus. tiem, saturate coeruleus, florum cyani coerulei colore, punctis & venulis aureis atque argenteis interspersis splendentibus coruscans, Armenio lapide durior & compactior, saporis adstringentis. Ex fodinis aureis, argenteis & cupreis eruitur & vel ex Oriente, ut Asia & Africa adfertur, qui dicitur Orientalis, vel in Germaniae, Italiae, Hungariae & Transylvaniæ metallifodinis reperitur, qui Occidentalis nominatur. Prior ignis vim ferre valet & colorem suum in ignis tortura retinet, unde fixus audit, posterior vero in igne sibi non constat deponit colorem coeruleum & viridem acquirit. Extrahitur ex eo aurum, vel adhibetur ad præparandum nobile & pretiosum pigmenti coerulei genus, quod vocatur Ultramarinum, qui usus est frequenter. Sequentibus vero notis ejus qualitas ad hunc usum apta cognoscitur, si nimirum sputo vel aqua madefactus panno albissimo violaceum induit colorem, inter prunas ardentes candefactus colorem, postquam refixerit, retinet, ferro ignito injectus & in acero albo acerrimo extintus colorem non mutat sed intensiorem potius acquirit & ejus pulvis ferro ignito inspersus tam colorem quam consistentiam retinet; tunc enim ad parandum Ultramarinum censeretur bonus atque aptus. Conficitur hoc calcinando lapidem & laevigando in porphyrite commiscendo cum massa ex pice cera atque oleo composita, affunditur postea aqua, ut pulvis coeruleus alcoholisatus dissolvatur & ad fundum præcipitetur, qui collectus postea usui servatur. Cum vero hoc modo præparatum Ultramarinum sit longe carissimum & maximo constet pretio, illi substituitur Coeruleum

leum Berolinense, quod describunt *Miscellanea Berolinensia* pag. 377. Ultramarinus color ex utroque quidem lapide Lazuli tam Orientali quam Germanico, parari potest, sed ille, qui ex priori conficitur, ætate non mutatur, cum contra, qui ex Germanico præparatur, ætate & externis aeris injuriis facile lœdatur & temporis progesu virescat.

§. II.

Particulae cupreæ lapidis lazuli conciliant ipsi virtutem stimulantem & arrodentem, unde mirandum non est, illum intus sumtum tam per superiora quam per inferiora purgare & vel majori vel minori in gradu hos producere effectus, prout vel majorem vel minorem particularum cuprearum continent copiam. Quod vero actu ei insint cupreæ partes, solus color coeruleus, qui ab his oritur, satis superque demonstrat. Quidam abluendo ejus virtutem erodentem atque emeticam corrigere contendunt, sed frustraneus est omnis labor, sive enim sit lotus sive minus, semper tam per superiora quam per inferiora evacuat. Duplicem veteres medici ei adscriperunt virtutem, unam purgantem alteram confortantem & stypticam. Hanc ipsi crediderunt esse naturalem, quoniam in aurifodinis reperitur & aureas partes habet admixtas, illam vero seu purgantem virtutem per accidens ipsi tantum competere arbitrati sunt, quatenus nimirum alias heterogeneas particulas secum gerit. Quapropter ad roborantem hujus lapidis virtutem obtinendam pravam ejus indolem variis modis, tum abluendo tum calcinando, corrigerent tentarunt, qui vero labor mihi plane frustraneus & inutilis videtur, quamvis non negem, calcinatione ejus vim purgantem imminui posse & destrui, num vero calcinatio quoque ejus virtutem confortantem augeat, merito dubito. Patet ex dictis simul, cur veteres eum inter ingredientia confectionis alkermes, quæ compositio confortans est & roborans, receperint. Præterea attribuitur ipsi vis atram bilem evacuandi, quam ipfi, quatenus vehementer stimulando & resolvendo agit, competere & cum aliis purganti-

*Nicolai mat. med. P. II da.*

Gg

bus

bus vi maxima stimulante & resolvente præditis communem habere §. XXXVIII. Cap. I. vel eam ob causam ei adscriptam esse sentio, quoniam post ejus usum excrementsa dejiciuntur nigra, quod nihil peculiare est sed a martialium & venereo- rum medicamentorum usu venire solet. Cum vero præstan- tiora & securiora nobis suppetant remedia, quibus eosdem, ad quos commendatur lapis prædictus, effectus obtinere possumus prætereaque hujus lapidis operatio minus tuta sit & periculosa merito ab ejus usu abstinemus.

## CAPVT XXXVII.

DE

## L A P I D E A R M E N O.

Lapis Arme-  
nus quis &  
qualis sit  
ejusque vires  
& usus.

**L**apis Armenus, Armenius, a regione, ex qua olim ad nos afferebatur, ita dictus, hodie vix amplius ex Armenia ad nos pervenit, immo sunt, qui dubitant, olim ibi eum fuisse repertum. Est lapis pretiosus, opacus, ad metallicam accedens duritiem, maculis viridibus & coeruleis & ut lapis Lazuli punctis aureis & argenteis ornatus, friabilis, ex parvis quasi grumis constans. Parum a lapide Lazuli discrepat & saepius cum eodem in eadem reperitur gleba, unde a quibusdam promiscue nullo habito discriminé usurpatur uterque, differt tamen a lapide Lazuli, quod sordibus magis scatent minusque coeruleus existat. A sordibus depuratus suppeditat illud pigmentum, quod vocatur Bergblau, Blauberggrün, Blaue grüne Erde, Blau Schiffergrün. Cupreæ & vitriolicæ est indolis & viribus convenit cum lapide Lazuli sed vehementius purgat per superiora & inferiora. Olim ejus ut & lapidis Lazuli usus fuit celeberrimus & specificè commendatus in morbis soporosis, mama, apoplexia, quartana & ad atram bilem evacuandam, sed utriusque incerta & periculosa est operatio & eam ob causam hodie vix unquam ad usum expetitur medicum.



## SECTIO

SECTIO II  
DE  
EMETICIS  
CAPVT I.  
DE  
EMETICORVM MODO AGENDI  
ET VSV.

## §. I

**V**omitus est violenta eorum, quæ ventriculi cavo continentur, per os expulso: *nihil enim vomitu expellit finitio.* Vomitus de-  
li potest nisi id prius ad ventriculi cavitatem pervenerit, ex quibusunque corporis locis ad eam fuerit delatum. Verum non omnis contentorum ventriculi ejectio per os vomitus nomine venit, siquidem neque lenis & successiva contentorum ventriculi evacuatio, quæ in ruminantibus fit neque illa ventriculi excretio, qua multis hominibus contentorum ventriculi pars quædam sine nausea & sine ulla violentia in fauces ascendit in primis si cibi vel potus copia repletus fuerit & gravatus ventriculus, vomitus nomine insigniri potest. Constat enim ex observationibus medicis, quod quidam pro lubitu efficere possint, ut contentorum ventriculi pars sine nausea & violentia in fauces ascendet & nonnulli homines ruminari queant. Necesse igitur est, ut contentorum ventriculi per os ejactio, si vomitus nomen mereri debet, sit violenta.

## §. II.

*Fac*, ventriculi repleti parietes proprius ad se invicem Quomodo accedere, contentum in ejus cavitate ut ex ea per apertu- vomitus fieri ram, si qua adeat, egrediatur, necesse est. Accedere est poslit.

Gg 2

agere

agere & actio sine vi nec existit nec concipi potest. A vi igitur quadam accessus parietum ventriculi ad se in vicem proprietor produci debet. Vis haec hæret vel intra ventriculi parietes vel extra eos. Illa constrictio seu contractio, haec pressio vocatur. Jam vero vomitus est evacuatio contentorum ventriculi §. I. Ergo vel a parietum ventriculi constrictione vel eorundem pressione externa seorsim vel conjunctim debet produci.

### §. III.

Per quam Ventriculus duo haber orificia, dextrum & sinistrum, viam conten- quorum hoc immediate oesophago connexum cardia, illud ta ventriculi duodeno conjunctum pylorus appellatur. Si igitur ventri- exire queant, culi contenta ex ejus cavitate egredi coguntur, vel per finis- tram vel per dextram ventriculi aperturam vel per utrasque ut exeat necesse est.

### §. IV.

Vomitus ori- Extrinsicus tegitur ventriculus diaphragmate & muscu- tur a contra- lis abdominalibus, insuper ipse copiosis gaudet fibris mu- stione ven- scularibus. Duæ igitur circa ventriculum occurunt vires, triculi vel quæ in ejus contenta agunt vel immediate vel mediate, & sunt diaphragma- vel vires diaphragmatis & muscularum abdominalium vel vis tis vel mu- sculorum ab- ipsius ventriculi, quæ in parietum ejus fibris sedet muscularis abdominis se- ribus. Diaphragma enim & musculi abdominales sese con- stringendo pressionem in ventriculum exercent & mediate tonjunctim. in ejus contenta agunt, vis contra ventriculi, qua se constringit, immediate in contenta ventriculi agit, omnesque ha- vires ventriculum coarctant. Nunc vomitus producitur vel a ventriculi constrictione vel externa ejus pressione seorsim vel conjunctim §. II. & pressionem hanc externam non nisi diaphragma & musculi abdominis exercere possunt, dum sese constringunt. Ergo vomitus orihi debet a sola vel ventriculi vel diaphragmatis & muscularum abdominis constrictione vel harum omnium partium contractione conjuncta. Hæc vero contractio, quarumcunque sit partium, debet esse convulsiva, vel,

vel, si magis arriserit, spasmodica. Cum enim vomitus sit evacuatio contentorum ventriculi violenta §. I, partium quoque contractio, qua vomitus excitatur, ut præternaturaliter aucta seu violenta, id est, convulsiva seu spasmodica ut sit necessario sequitur.

§. V.

Vomitu contenta ventriculi cavitate per os ejiciuntur §. I. Verum enim ventriculi contenta per os expelli nequeunt, nisi orificium ventriculi sinistrum cum oesophago connexum sit apertum. Si igitur vomitus fieri debet, necesse est, ut orificium ventriculi sinistrum sit aper-tum.

§. VI.

Quamvis orificium ventriculi sinistrum sit apertum & Pyloro aper-ventriculus constringatur vel comprimatur seorsim vel con-junctim, nihilominus tamen nullus oriri potest vomitus, nisi non fit. pylorus sit clausus. Fac enim, pylorum & sinistrum ventriculi orificium esse apertum ejusque parietes vel constringi vel comprimi seorsim vel conjunctim, tunc contenta ventriculi, utpote quæ gravia sunt & vi gravitatis deorsum tendunt, per pylorum potius quam per cardiam e ventriculi cavitate prodire debent, qua ratione nullus contingere potest vomitus. Cum vero contenta ventriculi vomitu per os sint ejicienda §. I, ex ventriculi cavitate per oesophagum contra propriam ponderis sui agendique rationem ascendere atque in altum propelli debent: id quod cum fieri nequeat, nisi pylorus sit clausus & via ad intestina occlusa, dilucide appetit, vomitum nunquam produci posse, nisi pylorus sit clausus.

§. VII.

Conditiones igitur, quæ requiruntur, si vomitus oriri debet, sunt, ut pylorus sit clausus, cardia vero aperta & ventriculus vel diaphragma & musculi abdominis vehementer se constringant seorsim vel conjunctim.

Gg 3

§. VIII.

## §. VIII.

**Vomitus** Nonnulli nulla ratione ventriculi habita diaphragmatis produci ne- & muscularum abdominis actioni soli vomitum attribuunt, quia sola sed hæc sententia minus firmo & stabili nititur fundamento.

Fieri enim nequit, quin ventriculus, adeo sensibilis pars, tanta diaphragmatis & muscularum constrictione irritetur minis ad contractionem spasmodicam, nec ratio suppetit, cur con-

tractione muscularum praedictorum voluntaria, si omni pro-

tiori. movetur nixu, non æque producatur vomitus, quod famen

non contingit, ad quod accedit, quod hi musculi, licet maximam patiantur convulsionem, nullum tamen vomitum producere possint, nisi pylorus sit clausus §. VI. VII. adeoque spasio constrictus. Si enim pylorus æque ac cardia esset aper- tus, diaphragma & musculi abdominis vehementer ventri- culum spasmodica sua constrictione comprimentes contenta ventriculi deorsum per pylorum propellere deberent, nisi aliud accederet, quod nihil aliud esse quam motum ventri- culi spasmodicum, a pyloro inverso & præternaturali modo progredientem, quis est qui dubitet? Eo enim versus superiora directo motus muscularum abdominis & diaphrag- matis vehementior accedens & ventriculum comprimens non potest non contenta ventriculi per os cum impetu ej- cere, id est, vomitum producere. Sola igitur muscularum abdominis & diaphragmatis constrictio sine ventriculi con- tractione spasmodica nunquam vomitum excitare potest.

## §. IX.

**Quomodo** Cum sola diaphragmatis & muscularum abdominis constrictio vehementior vomitum producere nequeat §. VIII. vomitus fiat, utrum con- nihil superest quam ut vomitus ventriculi contractione soli strictione ventriculi fo- to majori vel sola vel concurrente simul muscularum abd- la an conjun- minis & diaphragmatis constrictione aucta peragatur §. IV. ta cum con- Intensior horum muscularum contractio ad vehementem tractione mu- ventriculi constrictione accedens, tantum abest, ut vomitui scularum ab- impedimentum objiciat, ut potius omne tollat & vomitum dominis & multum promoveat reddatque faciliorem, ita, ut hinc multi dubita-

dubitaverint nulli, totum in peragendo vomitu negotium illi diaphragma-  
demandare soli, ut ex superioris adductis dilucide appareret.

§. VIII. Num vero contractio ventriculi sola præternaturaliter aucta vomitui excitando par sit & sufficiat, quæstio est altioris indaginis, de qua inter medicos inter utramque disputatur partem, sed secundum meam sententiam tota hæc lis facile potest componi. Demonstravit nimurum Vir exquisitissimæ eruditionis & de re physica & medica optime meritus illustris Hambergerus in Physiologia §. DCCXLIV. MCCII. vim, qua ventriculi fibrae sese contrahunt, sedecim libris esse æqualem & vim ventriculi coarctantem summam, qualis in vomitu deprehenditur, non multum a quinquaginta libris distare. Cum igitur vis ventriculi tanta sit, nullum remanet dubium, quin ea sola expellendis vomitu contentis in ventriculi cavitate sufficiat, & quoties non videmus, ab infantibus lac paulo largius haustum vomitu iterum rejici sine præternaturaliter aucta muscularum abdominis constrictione? Probe quoque circumstantiae, sub quibus fit vomitus, & quæ tam subjectum, in quo evenit vomitus, quam materiae vomitu expellendæ indolem, & qua vomitus peragit, vehementiam respiciunt, sunt considerandæ & discernendæ, si determinandum est, num vomitus sola ventriculi perfici possit. Nam si subjectum ita a natura est formatum vel ejusmodi gaudet dispositione vel habitu, ut vomitum facile sine magno nixu & molimine & sine ulla fere molestia edere queat, si materia vomitu ejicienda pondere suo non nimis resistit nec alio modo ira comparata est, ut expulsiōnē impedimentum objiciat non nisi magno nixu & molimine removendum, & si vomitus ipse non cum ingentibus conjungitur motibus & conaminibus, vomitum sola ventriculi constrictione perfici posse mihi certe persuadeo, interea tamen non inficias eo, hac ratione raro fieri vomitum, sed lubens concedo, eum frequentissime constrictione ventriculi aucta cum muscularum abdominis & diaphragmatis contractione spasmodica conjuncta peragi, testantibus id phænomenis vomitum comitantibus, ut agitationibus moti-

motibus & laboribus vehementibus, qui in vomentibus conspiciuntur, alvi & urinæ involuntaria excretione abortu &c.

§. X.

Vomitus fit Vomitus persicitur contractione ventriculi muscularum ope muscu- abdominis & diaphragmatis præternaturaliter aucta §. IX. lorum. Sed omnes hæ partes sunt vel musculi vel musculis seu fibris muscularibus gaudent (per princ. anat.) Ergo vomitus fit ope muscularum eorumque constrictione præternaturaliter aucta.

§. XI.

Vomitus ori- Posito vomitu ponitur contractio ventriculi præterna- tur a vi ven- triculi vitali turaliter aucta §. IX. X. Nunc contractio fibrarum corporis præternatu- humani præternaturaliter aucta oritur a vi fibrarum vel phys- raliter aucta. ca seu elastica vel vitali præternaturaliter aucta §. LXVII.

LXVIII. Sect. II. Part. I. Ergo vomitus oriri debet a vi ventriculi aut physica seu elastica aut vitali præternaturaliter aucta. Verum enim vero vomitus a vi ventriculi physica seu elastica sola præternaturaliter aucta produci nequit, cum teste experientia ea subjecta ad vomendum minus sint disposita, quæ fibris gaudent valde elasticis, id est, rigidis, & in cadavere, in quo vis physica adhuc integra est & illæsa, nullus unquam observatus fuerit vomitus. Nihil igitur amplius supereft, quam ut vomitum a vi ventriculi vitali præternaturaliter aucta produci afferamus. Interea nemo sibi persuadeat velim, omnem omnino ventriculi vim physicam seu elasticam a vomitus negotio excludi. Minime, sed illa potius supponitur. Cum enim vis vitalis dependeat ab influxu & motu sanguinis & fluidi nervae §. LXVIII. Sect. II. Part. I, hic vero locum habere nequeat nisi fibrarum vasa, in quibus sanguis & fluidum nerveum vehitur, constitutum partes cohærent, & vis, quæ a cohaesione partium fibras constitutum dependet, sit physica seu elastica, sine ullo perspicitur negotio, quod vis vitalis supponat vim physicam seu elasticam. Quæ ut eo clarius apparent, non abs re erit, hic paucis duntaxat attingere, quod fibræ corporis huma-

humani duplice sint præditæ vi, qua se contrahere conantur & quæ vel a cohæsione particularum fibras constituentium vel ab influxu sanguinis & fluidi nervei in eas dependet. Prior vis dicitur vis physica seu tonus physicus, posterior autem vis vitalis seu tonus vitalis.

§. XII.

Vomitus oritur a vi vitali ventriculi præternaturaliter aucta <sup>Vomitus</sup> §. XI. Vis hæc dependet ab influxu sanguinis & fluidi utrum a vi nervei §. XI. Qua de re vomitus proficiscitur ab influxu vel physica an sanguinis vel fluidi nervei vel utriusque fluidi in ventriculo clastica ven- præternaturaliter aucto. Exponam proinde, quomo- triculi pro- do ab influxu fluidi nervei versus ventriculum præternatura- veniat?

liter aucto vomitus producatur, dein etiam explicabo, quo- modo a sanguine vomitus produci possit. Si fluidi nervei influxus in ventriculum præternaturali modo augetur, majori in copia in fibrillas nerveas ventriculi influere & cum sero & sanguine intra tunicas ejusdem commisceri debet. Liquidum nerveum est omnium fluidorum corporis humani subtilissimum & levissimum, id est, minima gravitate specifica præditum, hinc partibus sanguinis & seri specifica gravioribus adhærendo non earum solum contactum & cohæsionem majorem minuit vi insignis suæ levitatis sed ope etiam summæ suæ subtilitatis sanguinem & serum potenter resolvit & cohæsionem inter horum partes auffert, quo facto aer in poris & intersticiis globulorum seri & sanguinis hærens minorē sentiens resistentiam sanguinem & serum in majus expandit spatum, fluida hæc intumescunt & turgescunt, quo non possunt non fibræ quoque musculares, in quibus hærent, magis secundum latitudinem expandi, intumescere & breviores redi, quo tandem tanta producitur ventriculi contractio, quanta ad vomitum requiritur. Quicquid igitur motum fluidi nervei præternaturali modo determinat versus ventriculum, seu efficit, ut solito majori copia ad ventriculum affluat fluidum nerveum, illud etiam vomitum excitare valet. Cum vero illud perficiatur irritatione, qua-

Nicolai mat. med. P. II da.

Hh

cunque

cunque hæc fiat ratione, vel extensione, exinde conficitur, omne illud vomitum producere posse, quod ventriculum irritat, quacunque fiat ratione, vel fibras ejus extendit.

§. XIII.

Quomodo  
sanguis vo-  
mitum exci-  
tet.

Sanguis §. XII. nulla alia ratione vomitum excitare potest quam quatenus ventriculum irritat. Sive enim majori in copia in vasa ventriculi irruat & in iisdem accumuletur siue stasim ibi conceperit vel aliam assumferit depravatam qualitatem, qua vomitum excitat, nullo tamen alio modo vomitum producit quam ventriculum irritando sive hoc fiat vasa ventriculi extendendo vel alio modo. Sic vomitus, qui primis graviditatis mensibus familiaris est, a sanguine in vasis ventriculi nimis abundante eaque justo magis extendendo ventriculum irritante suam trahit originem.

§. XIV.

Quomodo  
extensio-  
fibrarum  
ventriculi  
producatur  
vomitus.

Quemadmodum omnis actio in corpus æqualem habet conjunctam reactionem (per princ. phys.) ita extensionem fibrarum corporis nostri, dummodo non sit nimia, æqualem earum reactionem, id est, contractionem producere debet. Accedit ad hanc fibrarum ventriculi contractionem alia, qua se non solum vi elasticitatis §. XI, sed etiam vi vitalitatis suæ §. XI, constringunt. Fibrae enim ventriculi præditæ sunt vi tam elastica quam vitali §. XI, & dum extendendo vel alio modo irritantur, affluxus fluidi nervi versus ventriculi fibras augetur, quo major producitur ventriculi contractio §. XI, & fibræ ejus elasticæ extensæ remittente extensione in pristinum se restituunt statum, id est, se majori impetu contrahunt. In omnibus vero his casibus suppono, causam ventriculum extendentem non tantam esse, ut supereret vim ejus contrahentem vel ejusdem tonum destruat.

§. XV.

Quomodo liberalius in-  
ta copiosius ingurgitata vomitum producant et aqua simplex  
gurgitata vo-  
tepidula lac liberalius hausta medicamenti emeticici vices inter-  
dum

dum sustineant. Omnia enim hæc ventriculum nimis replen- mitum exci-  
do & exfendendo ad contractionem irritant spasmadicam,  
qua vomitus producitur §. XIV. Porro eadem liquido ap- tent.  
paret ratione, cur & quomodo digito vel alio instrumento  
fauces irritatae vomitum excitent. Cum enim fauces cœsophagus & ventriculus uno eodemque gaudeant fibrarum tractu  
communique & arctissimo ope nervorum nexu, fieri nequit,  
quin faucium irritatio ad ventriculum usque propagetur,  
quo hujus perficitur contractionis vomitui excitando par-  
atque idonea. Veritas enim certa est atque ab omnium re-  
clamatione vindicata, una fibrarum connexarum irritata &  
se contrahente alteram irritari atque ad contractionem stimulati.  
Si igitur faucium fibræ irritantur, quacunque id fiat ra-  
tione, solito magis se contrahunt, quod, cum sine extensio-  
ne adeoque irritatione fibrarum ventriculi perfici nequeat,  
in his quoque producit irritationem & hinc dependentem  
contractionem majorem.

§. XVI.

Cognito ac perspecto, quomodo nimia ventriculi reple- Quomodo  
tio & faucium irritatio vomitum producat, ordini & pro- oleosa vomi-  
posito meo congruum esse existimo, investigare, qua ratio- tum produ-  
ne oleosa & pinguia ut oleum amygdalarum dulcium, lini  
olivarum, sperma ceti, cerevisia tepida butyro pinguis reddi- cant.  
ta, juscule nimis pinguis, lac & ejus flos &c. vomitum effi-  
cient. Primo, quateaus sunt corpora gravia, vi ponderis  
sui parietes ventriculi extendunt & majorem fluidi nervei  
versus eos affluxum concitant, qui majorem producit ven-  
triculi contractionem §. XII. XIV. Deinde oleosa, cum ma-  
jori gaudeant visciditate, quam aqua, faucibus & cœsophago  
fortiter adhaerent & tam ex adhaesione quam ex pondere  
lente descendendo oesophagum & per consensum ventricu-  
lum maxime irritant §. XV, nec levem & parvam esse hanc  
irritationem ab oleosis in cœsophago productam, exinde di-  
lucide apparet, quoniā experientia teste exigua liquidi cu-  
jusdam quantitas aliquot guttulas æquans lento descensu su-

Hh 2 per

per partem sensibilem insignem producit irritationem. Aliquot guttulæ aquæ abdomini ita impositæ, ut super id lento motu & descensu ferantur, tantam producunt irritationem, ut exinde satis molesta & fere dolorosa oriatur sensatio. Similem vero produci irritationem in cesophago a descensu oleosorum per eum, cum insigni nervorum præditus sit copia, & hanc irritationem ventriculo communicari, quam ejus excipit constrictio spasmodica, quis est qui dubitet? Ad ventriculum descensu delata oleosa vi ponderis, uti antea demonstratum fuit, extendunt & ad spasmodicam irritant contractionem. Accedit ad hanc actionem oleosorum vi ponderis alia, qua ex adhæsione in superficiem ventriculi internam & viscidum illam obducens agunt. Tota enim superficies ventriculi interna viscido sulphureo est obducta, cui aqua plane non vel saltem nota notabili adhæret gradu, oleosa contra ob partium homogeneitatem magis adhærent. Cum igitur adhæsio sit actio, oleosa non versus viscidum solum illud sulphureum sed ductulos etiam excretorios ram glandularum quem extremitatum arteriosarum agere hosque claudere atque obstruere debent. Hac ratione impeditur & sistitur liquoris gastrici excretio & cum hoc non obstante ejus secrecio & pressio ab impetu cordis & arteriarum pergit, fluidum secernendum intra vasa excretoria & glandulas retinetur atque accumulatur, vasa excretoria glandulæque obstructæ magis dilatantur atque intumescunt, quo non possunt non simul fibræ nerveæ & musculares vehementer extendi atque ad spasmodicam constrictionem irritari, quæ vomitum producit §. XII. Triplici ergo modo oleosa vomitum producere possunt, primo, quatenus descensu suo per cesophagum hunc & per consensum ventriculum irritant §. XII, deinde, quatenus in ventriculum delata hunc vi ponderis extendunt §. XII. & denique, quatenus adhærendo internæ ventriculi superficie effluxum liquoris in cavitatem ventriculi excernendi impediunt & ductuum excretoriorum in ventriculi ca-vum & glandularum ventriculi intumescentiam producunt.

§. XVII.

§. XVII.

Aliorum ea est sententia, oleosa non hac ratione, quam exposui §. præcedente, sed vias, per quas materia vomitu ejicienda moveri debet, lubricando & laxando vomitum excitare. Evidem non eo inficias, oleosa vi lubricante & laxante gaudere, sed tantum abest, ut hæc vomitum producat, ut potius eidem sit impedimento. Contenta enim ventriculi vomitu ejicienda sunt gravia & contra actionem suam vi ponderis, quo deorsum tendunt, per ascensum & in altum sunt movenda §. V., cui motui viæ lubricitatem magis impedimento esse quam adjumento, in experientia & ratione fundata est veritas.

§. XVIII.

Quum acria ventriculum irritent §. CCCCV. Sect. VI. Quomodo Part. I., vomitum excitare possunt §. XII. Eorum modum acria vomiti agendi sic mihi concipio. Omnis acrimonia dependet a sali- tum produ- libus, sed salia non agunt nisi sint soluta nec per se sola & sibi relicta ob majorem suam gravitatem specificam viscido sul- phureo ventriculi internam superficiem obducenti adhærent qua de re si huic adhærere debent, ut sint particulis specificie levioribus, id est, sulphureis obducta, necesse est, quas actu ipsis commixtas esse ex principiis demonstrari potest chemicis. Salia igitur acria sulphureis partibus cincta & in ventriculo soluta adhærent muco ventriculi & per eundem ex adhæsione transiunt ad ejus fibras, inter quarum partes constituentes cohærentes ex adhæsione penetrant, quo prior cohæsio imminuit & tensio seu irritatio major producitur. Flexiles enim cum sint fibræ ventriculi, inter quarum partes cohærentes salia acria penetrant, istæ earum partes, inter quas nulla salia penetrarunt, uti semper conatum magis & propius ad se invicem accedendi & appropinquandi exercent, quam pri- mum in iis locis, ubi salia acria penetrarunt, cohæsio, id est, tendentia priori conatui resistens, imminuta est, actu propius ad se invicem accedunt, hinc in locis cohæsionis immi- nutæ particulae magis a se invicem recedunt & separantur,

H h 3

fibræ

Oleosa non  
lubricando  
vomitum ex-  
citant.

fibræ præternaturaliter extenduntur & irritantur una cum aliis fibris connexis, inter quarum partes nulla salia penetrant. Idem efficiunt salia acria in fibris ductuum excretori-orum ex glandulis ventriculi vel ejus extremitatibus arteriosis prodeuntium, quo orificia horum ductuum constringun-rur, obstruuntur, fluidum excernendum ab exitu prohibe-tur, in glandulis ductibus earum & extremitatibus arteriosis accumulatur, fortius premitur, glandulæ, ductus earum atque extremitates arteriosæ magis dilatantur atque intume-scent, fibræ præternaturaliter extenduntur atque irritantur. Quum igitur ventriculi fibræ omnes inter se cohærent multisque præditæ sint nervis, qui magnam eis conciliant sensibilitatem, facile est collectu, quod, quamvis nonnullæ tan-tum ventriculi fibræ a salibus acribus præternaturaliter irri-tentur, reliquæ connexæ per consensum etiam irritantur & irritatæ, cum satis sint robustæ magna que vi præditæ, ve-hementer se constringant, ventriculi cavum coarctent ejus-que contenta propellant.

§. XIX.

Quamvis salia acria medicamenti emetici irritando ven-triculum vomitum producant §. XVIII, nihilominus tamen nunquam hunc excitare possent, si primum statim fibras cardiam circumdantes & ligamentum Helvetii constituentes irri-tarent; haec etenim irritatæ eardiam constringerent & contentis ventriculi per cardiam vomitu expellendis exitum præ-cluderent. Cum vero, si vomitus fieri debet, necesse sit, ut cardia sit aperta §. V, salia acria! medicamenti emetici primitus in fibras in feriores circa pylorum fitas actionem suam exferere debent; hac etenim ratione pylorus primum spasmo constrictus efficit, ut contenta ventriculi contractione fibrarum spasmodica non per pylorum in duodenum sed per cardiam minus contractam egrediantur atque expellan-tur.

§. XX.

Emeticæ, quæ ex vitriolo parantur, vomitum produ-cunt, primo, quatenus acrimonia sua ventriculum irritant

§. XVIII.

§. XVIII. XIX, deinde, quatenus adstringendo agunt & de-  
nique, quatenus massam humorum inspissando ad decentem  
motum per vasa minima tam totius corporis quam ventriculi  
reddant ineptam. Prior modus agendi jam fuit expositus  
§. XVIII. XIX, hinc non opus est, plura de eo facere ver-  
ba. Ad secundum quod attinet operandi modum, vitriola-  
ceorum acrimonia a ferro admixta temperatur, &, quia aci-  
da est, adstringens redditur, quam ob rem ob minorem  
acrimoniam majori semper sunt propinanda dosi, si effectum  
exferere debent vomitorium, & ob vim adstringentem mi-  
nus sunt grata, hinc ob majorem, qua sunt adsumenda, co-  
piam nihil facilis fieri potest quam ut eorum partes solvan-  
tur & solutae ad massam deferantur humorum ejusque visci-  
ditatem præternaturaliter augeant. Verum enim vero visciditas  
massæ humorum præternaturaliter aucta transitum eorum per  
vascula minima totius corporis adeoque etiam ventriculi ejus-  
que glandulas impedit, obstructionem producit, &, cum  
fluida a corde & arteriis continuo premantur, liquidique  
gastrici secretio continuet, glandulæ & vascula obstructa ex-  
tenduntur & dilatantur, quo fibræ sensiles non possunt non  
præternaturaliter expandi atque ad contractionem spasmo-  
dicam irritari.

§. XXI.

Solenne medicis est, emetica vario modo discernere & Fundamen-  
rationem discriminis partim ab eorum origine, partim a <sup>tum divisio-</sup>  
modo operandi vel applicandi, partim ab usu petere. Ra-  
tione originis dividuntur in mineralia, animalia, & vegeta-  
bilia, prout ex hoc vel illo naturæ regno desumuntur. Re-  
spectu modi applicandi in interna & externa, respectu mo-  
di operandi in vehementiora & leniora, draistica & mitio-  
ra, segniora & efficaciora, tardioris vel celerioris operatio-  
nis, magis vel minus molesta & ratione usus in magis vel  
minus ultiata tuta & selecta distribuuntur.

§. XXII.

Emetica, quæ desumuntur ex regno minerali, paran- Conspectus  
fur vel <sup>emeticorum</sup>  
I) ex <sup>mineralium.</sup>

- I) ex ANTIMONIO vel
- II) ex VITRIOLO vel
- III) ex MERCURIO.

Quæ ex antimonio conficiuntur, emetica sunt

- 1) FLORES ANTIMONII, dosis grana duotria vel quatuor.
- 2) REGULUS ANTIMONII SIMPLEX, ex quo pilulae sic dictæ perpetuae & pocula emetica usus fere perennis confici solent. Vinum enim calidum ex his poculis æque ac ex vitro antimonii vim vomitoriam prope in infinitum pauxillo de substantia eorum decadente extrahit.
- 3) REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS, dosis scrupulus unus.
- 4) VITRUM ANTIMONII, quod non in substantia sed ad infusa vinosa emetica adhibetur.
- 5) SULPHUR ANTIMONII dosis grana quatuor vel sex.
- 6) CROCUS METALLORUM RULANDI, paratur ex antimonio & nitro. Dosis grana tria vel quatuor.
- 7) AQUA BENEDICTA RULANDI seu vinum emeticum ex vitro antimonii & vino paratum, cuius dosis est uncia dimidia vel integra.
- 8) OXYSACCHARUM EMETICUM ANGELI SALÆ, quod ex vitro & aceto vini paratur & pro dosi exhibetur a drachmis duabus usque ad unciam dimidiā.
- 9) OXYSACCHARUM EMETICUM LUDOVICI, quod ex croco metallorum & aceto vini paratur. Dosis cum priori convenit.
- 10) SYRUPUS RUBI IDAEI EMETICUS, qui ex vitro antimonii vel croco metallorum & succo rubi idæi paratur. Dosis drachmæ duæ vel tres.
- 11) SAPA VOMITORIA SYLVII, quæ ex vitro antimonii vel croco metallorum & musto paratur. Dosis quatuor usque ad octo grana.
- 12) TARTARUS EMETICUS, qui paratur ex vitro antimonii vel croco metallorum & tartaro. Dosis grana tria vel quatuor.

- 13) MERCURIUS VITÆ, qui e butyro antimonii per præcipitationem cum aqua paratur & pro dosi ad grana duo vel tria, sed rarissime in substantia exhibetur & potius ad infusa vinosa emetica paranda usurpatur.
- 14) ROSA MINERALIS SALE, quæ nihil aliud est quam mercurius vitæ in roseum colorem exaltatus.
- 15) ANTIMONUM cum duabus partibus nitri detonatum præbet emeticum infantibus ad grana duo vel tria conveniens.

### §. XXIII.

In ordine emeticorum succedunt ea, quæ a VITRIOLO Conspectus sumuntur & sunt:

- 1) VITRIOLUM CRUDUM, præsertim ALBUM, cuius dosis drachma semis vel integra.
- 2) GILLA PARACELSI, quæ ex vitriolo albo aqua soluto & inspissato conficitur nihilque aliud est quam vitriolum album depuratum. Dosis est a scrupulis duobus usque ad drachmam integrum.
- 3) SAL VITRIOLI, dosis scrupulus unus.
- 4) MANNA VITRIOLI, quod cum sale vitrioli convenit, sed mitius est.
- 5) CRYSTALLI LUNÆ, alias validissimæ hydragogæ, agunt enim ex admixti cupri principiis. Dosis grana quatuor.

### §. XXIV.

Quæ ex mercurio parantur, vomitoria sunt:

- 1) MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER seu ARCA-Conspectus NUM CORALLINUM CROLLII, quod ex mercurio vivo & spiritu nitri paratur. Dosis grana qua-mereticorum tuor vel quinque.
- 2) TURPETHUM MINERALE, quod ex mercurio vivo & oleo vitrioli vel ex mercurio sublimato & oleo tartari per deliquium paratur. Dosis grana tria vel sex.

Nicolai mat. med. P. Hda.

Ii

3) MER-

- 3) MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS. Dosis duotria vel quatuor grana. Paratur ex mercurio vivo soluto in aqua forti per præcipitationem cum aqua salsa.
- 4) AURUM VITÆ KEGLERİ, quod itidem ex mercurio paratur & olim magni fuit habitum.

§. XXV.

Conspiclus  
emeticorum  
mercuriali-  
um.

Emeticæ, quæ ex regno desumuntur vegetabili, sunt

I) RADICES; ut

RADIX ASARI, cuius dosis drachma dimidia vel integra. Infusum illius cum vino paratum ad aliquot uncias propinatur.

BRYONIÆ, de qua jam dictum sub titulo de purgantibus.

CYCLAMINIS, vide dicta de purgantibus.

ELLEBORI ALBI, non usitata.

IPECACUANHÆ, cuius dosis est scrupulus unus vel drachmaa dimidia.

SQUILLÆ, cujns dosis pro scopo emetico grana sex vel octo. Paratur ex ea

OXYMELS QUILLITICUM, quod in

infantibus ad unicam dimidiad vel

integræ datum vomitum excitat.

II) FOLIA ASARI quorum recentia quatuor vel sex incisa trita & cum vino infusa vomitum, mitiore tamen quam radix, ciente, cum aqua autem infusa tantum purgant.

GRATIOLÆ, dosis scrupulus unus vel duo in forma pulveris vel infusi sed aptior est usui interno eorum succus ad drachmam dimidiad sumtus & extractum vinofum ad decem grana in pilulari forma.

NICO-

NICOTIANÆ, quoram usus exoluit.  
SEDI VERMICULARIS, dosis in substantia  
ad scrupulum unum vel duos, deco-  
eti ad uncias aliquot ascendit.

SAMBUCI & EBULI folia prima, JULI,  
GEMMÆ vel TURIONES dicta, quæ  
sub pulveris forma ad scrupulum di-  
midium exhibentur. Cortex medi-  
us arboris & radicis sambuci ad drach-  
mam unam infusus in aquam vinum  
vel cerevisiam & ejus succus a scru-  
pulo dimidio usque ad integrum sum-  
tus vomitum & purgationem excitat.  
Oleum coctum ex arillis sambuci ad  
unciam unam adhibitum satis vehe-  
mentem exserit effectum vomitorium.

III) FLORES JACEÆ      } quorum syrapi infantibus ad  
PERSICORUM      } unciam unam praescribi solent

EBULI                  } non usitati  
GENISTÆ               }

IV) SEMINA CATAPUTIE, quæ ob sumam violentiam,  
qua agunt, e foro pharmaceu-  
tico sunt proscripta.

GENISTÆ  
ATRIPLICIS      } non visitata  
RAPHANI            }

RICINI                } de quibus actum sub titu-  
GRANATILLI        } lo de purgantibus.

V) CORTICES RADICIS SAMBUCI      } de quibus jam dis-  
EBULI                } rui.

VI) LIGNUM PAVANA DICTUM de quo dictum fuit in  
pertractione de pur-  
gantibus.

VII) NUX VOMICA

CUCUMIS ASININUS & ex eo paratum  
ELATERIUM, de quo jam actum fuit sub titulo de  
purgantibus.

§. XXVI.

De emeticis  
animalibus.

Ex regno animali pauca eaque prorsus inusitata prostant  
emetica, e.g.

- 1) RASURA UNGUIUM HUMANORUM
- 2) OVA PISCIS BARBI
- 3) OVA FORMICARUM
- 4) MUSCERDA.

§. XXVII.

Alia discrimi-  
na emetico-  
rum.

Præter dictum emeticorum discriminem alia adhuc viget  
eorum discrepantia, magnæ in praxi utilitatis, qua in ma-  
gis vel minus tuta secura usitata & selecta distinguuntur.  
Pauca immo paucissima sunt, quæ ex ingenti adductorum  
cohorte ad censum tutorum securorum selectorum & usitato-  
rum possunt referri, & si tartarus emeticus & radix ipec-  
cuanhae excipiuntur, reliquis omnibus commode carere pos-  
sumus. Antimonia et mercurialia, si a tartaro diluc-  
feris emetico, corrosiva indole nimis infeste adoriri ventri-  
culum, eum arrodere, vehementissimos nec coercendos vo-  
mitus, hypercathartes, spasmos, convulsiones & inflamma-  
tiones letales excitare solent, unde perpetuo non sine per-  
iculo dantur. Idem valet judicium de vomitorii, quæ ex  
vitriolo parantur. Usitatum quidem fuit famigeratissimo  
olim Regis Borussiae Archiatro Andreæ GUNDELSHEIMERO  
in febribus castrenis ad vomitum excitandum vitriolum al-  
bum ad drachmam integrum exhibere, in aqua vel alio liquido  
solutam & tantum non semper salutaris voto respondit even-  
tus sed res ipsi fuit cum militibus robustioris naturæ & duro  
laboriosoque vitae generi assuetis, quod in causa fuit, ut ob-  
structiones a vitriolatis productæ §. XX. non diu perdura-  
verint sed facile & cito fuerint expeditæ nec debilitatem tan-  
tam, quantam alias, reliquerint. Subjectis vero tenerioris &  
debili-

debilioris naturæ vitriolata emetica non convenient, quoniam debilitatem jam præsentem per obstrunctiones, quas producunt, maximopere augent.

§. XXVIII.

Homines medicamento ad vomendum incitati molesto Phænomeno in ore faucibus & ventriculo afficiuntur, quem largior na vomitus salivæ in os affluxus & exspuitio, horrores & oscitationes comitantur immo saepe tota maxilla inferior tremit faciesque pallescit & totum fere corpus supina quædam molestia usque eo occupat, ut artus non nisi ægre moveamus, & sive stantes sive sedentes de aliqua gravitate & inertia conqueramur, quibus dolor capitinis accedere solet. His adjungitur coines aliqua ventriculi commotio versus superiora cum diaphragmatis & abdominis compressione, sine succedente vomitu, quam inanem vomendi conatum seu nauseam appellare usitatum est artis peritis, atque hæc ipsa nausea pro ægri aliarumque circumstantiarum constitutione præcordiorum anxietatem, pectoris angustiam, respirationem impediat & molestam, capitinis dolorem, faciei ruborem & intumescientiam, vertiginem, aurium tinnitus, oculos sanguine suffusos, scintillas & varios colores oculis observantes, pulsum celarem & frequentem, singultus, ruetus & alias spasmoidicos corporis motus, secum gerit, modo graviores, modo leviores, & vel semel vel iterum recurrit vel vomitum proxime antecedit. His subjungi actionem ventriculi inversioni simillimam, diaphragmatis versus inferiora impetuosum descensum, muscularum abdominis maximam constrictionem abdominis cavum coarctantem & quasi omnium ejus contentorum versus superiora pressionem violentam animadvertisimus, unde vehementius sed simul difficilius spiritus ducitur & sigillatim inter exspirandum diaphragmatis in thorace in regressus, muscularum abdominis impulsus & evomendorum eiectione per os illacrymantibus & sanguine suffusis oculis presso pede subsequuntur. Præterea sudor erumpere solet, qui fere frigidus est, & remanet dolor universalis, qui

I i 3

præci-

præcipue abdomen totum & diaphragmatis omnem fere ambitum occupat & obtusus est similisque ei, qui in reliquis membris nimio labore defatigatis percipitur. Probe quoque levior vomitus a vehementiori est discernendus, ille fieri potest a sola ventriculi convulsione & paucioribus mitioribus que stipatur symptomatibus, hic vero præter ventriculi convulsionem diaphragmatis & muscularum abdominis constrictiōnem requirit longeque plura & graviora, quam ille, secum fert symptomata.

### §. XXIX.

Explicatio  
symptoma-  
tum vomi-  
tus.

Facilis atque expedita est symptomatum vomitum comitantium explicatio. Spasmodica constrictio non ventriculum solum diaphragma & musculos abdominis corripit sed etiam cesophagum, intestina & alia viscera musculosa infimi ventris nec non interiorem tunicam ori cesophago & ventriculo continuam in consensum trahit, unde glandulæ salivales constrictione suarum membranarum spasmodica vehementer compressæ salivæ largiorem copiam fundunt, & irritata communis oris faucium & cesophagi membrana labii & maxillæ inferioris tremorem efficit. Si iam simul consideretur, convulsis musculis abdominis & diaphragmate omnia abdominis contenta validissime comprimi & reliqua viscera musculosa infimi ventris per consensum convulsione affligi, dilucide apparebit ratio, cur vomitum nonnunquam alvi & urinæ excretio involuntaria, abortus & hæmorrhagiae nonnunquam sequantur. Respiratio in vomitu impedita nec naturali modo succedens efficit, ut cor dextrum se libere in pulmonis vasa evacuare nequeat & reditus sanguinis venosi a capite impediatur, dum interea per arterias magna copia & impetu sanguis versus caput pellitur, hinc turget facies & rubet, oculi sanguine suffusi lacrymantur, venæ ingulares inflatæ tument, scintillæ & varii colores oculis obversantur, aures tinniunt, vertigo & post validum vomitum sensuum hebetudo & somnolentia oritur, & metuendum est, ne a diurno & valido vomitu vel nimis distendatur.

dantur vel rumpantur encephali vasa, ex quo multa oriri possunt mala. A spasmodicis harum partium contractionibus sanguis & humores in magnum & valde irregularem concitantur motum, in partes quasdam influxus eorum impeditur, in alias contra augetur, ita, ut magno in eas pellantur impetu, fluidum nerveum dissipatur, partes vehementer extenduntur, debilitas & atonia, quae partim a spasio ut causa, quem excipit, partim a nimia connexarum partium extensione oritur, viriumque imbecillitas producitur.

§. XXX.

Haud facile aliis magis, idque jam antiquitus, vomitoriorum usus medicorum fere omnium & mentes & oculos in se convertit, quam qui a nimia ingestorum copia ventriculum liberat, quia non tam insignior & conspectior est aliis utilitatibus, quam frequentior & crebrior deprehenditur, hinc est, cur & illi, qui alioquin non ita benigni vomitoriorum sunt existimatores, hunc tamen eorum usum accipient & asserant. Potest vero ad assumta sine esculenta larga in copia ingurgitata & magnas molestias creantia vomitu expellenda vel digitus faucibus immissus vel aliud instrumentum simili modo agens vel tartarus emeticus vel radix ipecacuanhae adhiberi. Ingeniosi in machinamentis vomitui excitando destinatis excogitandis & usui aptandis fuerunt veteres: quippe a quibus adhibita legimus digitale vomitorium, lorum vomitorium, officulum balenae tenuius ac flexible factum, ad cuius extremitatem aliquid molle & porosum ut spongiæ modicum frustulum firmiter alligabatur, ne ab illo divulsum in cesophago aut ventriculo remaneret, planeque indubium est, quin recentiorum excutiae ventriculi ad illorum imitationem fuerint factæ, de quibus pereruditam in publicum emisit dissertationem illustris b. m. **GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIVS.**

Vomitorio-  
rum utilitas  
in ventriculi  
repletione.

§. XXXI.

§. XXXI.

**U**sus emeti- Maxime etiam necessarius & salutaris est vomitus, si  
corum con- venena corrosiva & acria fuerunt assumta & tunc expedit,  
tra venena. vomitum movere non emeticis acribus sed talibus, quæ cor-  
rosivam venenorū indolem infringunt & corrugunt, ventri-  
culumque ab arrosoione defendunt, cujus generis sunt aqua  
tepidā copiose hausta, lac, butyrum insulfum, olea expref-  
sa ut lini, amygdalarum dulcium, olivarum &c. tremor ave-  
næ, juscula pinguia & gelatinosa. Quid? quod aduersa ve-  
nena narcotica ingestā vomitorīs non certius tutius & præ-  
stantius datur remedium, & omnino magnam copiam ac  
vīm gravissimorum omnia hæc confirmantū testimoniō-  
rum hoc recensere possem loco, nisi brevitati studerem.

§. XXXII.

In morbis &  
symptomati-  
bus a crudit-  
tibus ven-  
triculi con-  
veniunt vo-  
mitoria.

Quam sæpius ventriculus & duodenum multorum &  
gravissimorum malorum sit fecundum seminarium & quod  
cruditatum putridarum, nidorosarum, biliosarum, acrium,  
viscidarum & tenacium colluvies dolores capitū, vertigi-  
nem, deliria, nauseam, vomendi conatum, ruetuosam mo-  
lestiam, appetitus prostrationem, anxietatem, digestionis  
læsionem, ventriculique dolores excitet, usque adeo per-  
spicuum est longoque ac multo usū exploratum, ut id du-  
bitari nefas sit, tot tamque gravissimis testimoniis ex obser-  
vationum penū de promtis atque apud rei medicæ scriptores  
disperse obviis, quæ id confirmant, exstantibus, vide FER-  
NEL PATHOL. Lib. VI. cap. III. pag. 566. VAN SWIE-  
TEN COMMENTARIA IN BOERHAVII APHORISMOS  
§. 267. JACOB. HOLLERIUM DE MORBIS INTERNIS LIB.  
I. CAP. I. IL in scholiis. VIII. GOHLII COMPENDIUM AD  
PRAXIN CLINICAM LIB. III. CAP. II. ET LIBR. IX. CAP. II.  
HOFFMANNI MEDIC: RAT. SYSTEM. TOM. IV. PART.  
IV. CAP. III. §. XI. & nihil sane est expeditius ad hæc mala  
propulsanda & debellanda, quam ejusmodi auxilia, quæ  
ventriculum ab ejusmodi molesta illuvie vomendo repurgant,  
cujus etiam nobis testis præter complures alios est locuple-  
tissimus

tissimus VAN SWIETEN, quippe qui in cit. Commentar. §. 701. aperte fatetur, frequentem satis deliriorum in febribus causam esse sordes circa præcordia collectas, unde postea animum suum acrius ad hoc febrium symptoma attendens Boerhavii monita se, inquit, deprehendisse verifirma, videlicet febrium deliria, si a faburra ventriculi sive biliola sive alia forent exorta, saepius unico dato vomitorio profligari.

§. XXXIII.

Illustris VAN SWIETEN in Commentariis ad Boerha- Antecedentia Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis §. 229. 701. 702. &c. planissimis tradit verbis: corrupta bile in ventriculi cavo hærente enormes capitum dolores, vertigines, deliria & cetera excitari, cui tam recentiores quam antiquiores adstipulantur fere omnes. Idem VAN SWIETEN asserit, sordes & cruditates in ventriculo & intestino stagnantes perquam aptas esse atque idoneas ad capitum & cerebri munia perturbanda. Præter jam memorata, quæ a ventriculi cruditatibus capiti accersuntur, mala complura, alia occurunt, quæ ab iisdem producuntur, quæ sunt vomendi proclivitas, nausea, appetitus jactura, digestio impedita, anxietas ventriculique gravitas & dolores. In historiarum & observationum medicarum abundant exempla, quibus luculentiter doceri potest, saepenumero recensita hæc mala sordium in ventriculo colluvie esse accepta ferenda.

§. XXXIV.

Confessæ longoquo & multiplici usu exploratae est veri- Utilitas votatis, crudiratum varii generis faburram in ventriculo & duo- mitoriorum deno hærentem febribus intermittentibus pabulum præbere in febribus ac nutrimentum earumque symptomata exacerbare. Ejusmodi pariter morbis dispellendis mitigandis & penitus removendis emetica opem commodant exoptatissimam & comode exhibentur die intercalari, ita, ut ante futurum paroxysatinum suam absolvant efficaciam. Omnium enim optimæ se habere solent febre intermittente laborantes, quando

Nicolai mat. med. P. II da.

Kk

præce-

præcedens paroxysmus jam per satis longum tempus fuit præterlapsus, adeoque tunc facillime pharmaci vim ferre possunt. Et si, uti frequenter evenit, cruditates in primis viis hærentes novo paroxysmo materiam & fomitem subministrant vel ejus vim adaugent, tam salutarem exserunt emetica efficaciam, ut vel paroxysmum futurum prima in herba felicissime jugulent & præcaveant vel ejus vim saltim infringant. Maxime vero convenit ad ejusmodi faburram expellendam præ aliis radix ipecacuanhæ, quæ minus corpus operatione sua perturbat & idcirco commode ab usu emeticorum antimonialium, quæ majori vehementia & molestia corpus afficiunt, abstinere possumus. Ubi autem signa docuerint, unico emetico nondum ejectam esse omnem hanc colluviem, potest & debet hoc repeti debitum cum cautelis, quemadmodum id sæpiissime necessarium est in febribus autumnalibus ventriculo & duodeno corrupta & tenaciore bile vel alia faburra onerato & prodest tunc emeticis ptæmittere vel subjun gere diluentia digestiva & resolventia, ut per hæc soluta mobilis & ad excretionem apta reddita eo facilius exuti possit atque eliminari.

## §. XXXV.

Utilitas emeticorum in morbis contagiosis.

In febribus malignis, quæ contagio serpunt & insigniter pernicialis sunt indolis, ut in peste, febribus petechialibus & petechizantibus, morbo Hungarico, febribus castrensis & id genus aliis afflictionibus nullum certius tutius & præsentius datur remedium emetico tempestive in initio propinato, tum, quoniam virtosorum humorum colluviem in ventriculo & duodeno delitescentem & symptomata augentem expellit, tum præfertim, quia miasma in primas vias delatum & perniciem vitæ inferens foras exturbat. Hac omnium tutissima & certissima curandi ratione complures ab exitialibus & contagio infestis morbis immo ab ipse peste & munitos & liberatos fuisse multiplici experientia fuit confirmatum.

## §. XXXVI.

In aegritudi-

A lactis in ventriculo coagulatione & corruptione quam nibus a lactis multa & gravia symptomata, ut flatulentia, anxietas, spandrati

randi difficultas, quæ suffocationem minitatur, inquietudo vitio utili-  
vigilie, & hujus modi alia mala, oriantur, præsertim in in-  
fantibus, & quod non prius discedant & remittant, quam <sup>runt</sup> emeticos.  
expulsa ex ventriculo ope lenis emeticu noxia & infesta ma-  
teria, inter omnes constat. Lac etenim in lactantium pri-  
mis viis stagnans moram necendo in coagulum & corrup-  
tionem abit, acrimoniam contrahit, & plerasque produ-  
cit ægritudines, quibus infantum ætas solet infestari, a qui-  
bus ut præsentaneo cum levamine liberentur, certius & prom-  
tius non datur remedium quam lene emeticum, quo ventri-  
culus vomitu depletur & pessimorum horum symptomatum  
materies & fomes exturbatur.

§. XXXVII.

Maxime eximia & præstantissima emeticorum in curan-  
dis alvi fluxibus & dysenteriis est efficacia, quam exserunt  
triplici modo, primo, dum materiae, quæ ex ore & ventri-  
culo ad intestina abiisset, fluxum ad intestina intercipiunt  
& per superiora educunt, deinde, quia intestina ad vehemen-  
tiorem stimulant contractionem, qua materia viscida vel  
acris in glandulis intestinorum vel inter eorum valvulas hæ-  
rens & diarrhoeam producens propellitur & evacuatur, tum,  
quoniam aliqua medicamenti emeticu pars ad intestina descen-  
dit, viscidum vasa resorbentia obstruens & humili intestinalis  
regressum ad massam humorum impediens vel acre  
ibi delitescens & irritans resolvit & ad evacuationem aptum  
reddit actuque expellit. Hanc a priori demonstratam emeti-  
corum utilitatem confirmant innumera aqua gravissima in  
historiarum & observationum medicarum monumentis or-  
currentia testimonia, ad quæ benevolum lectorem remitto.

XXXVIII.

Quoniam a vomitoriis partes solidæ musculosæ validis Uſus emeti-  
agitantur motibus & fluida vehementer commoventur corum in ob-  
§. XXVIII. XXIX, nihil certe facilius contingere potest, quam structioni-  
ut hoc valido impulsu subsistentes humores propellantur & bus.

Kk 2

via

viæ obstructæ referentur atque aperiantur. Sic in apoplexia tempore datum vomitorium complures servavit & ad salutem reduxit; quia sanguis per spasmum ab inferioribus partibus versus caput propulsus obstruentem propellit materiam & sic obstructionem tollit. Alios, quibus excretio bilis ob viarum obstructionem cessavit & hepar oppilatum est, mirifice juvit vomitus tempestive concitatus & aliquibus menstrua vomitu educta fuisse legimus. Si bronchia & vesiculæ pulmonales muco oppalentur, ut illo obstante aer irruere & pulmones expandere nequeat indeque suffocationis periculum nascatur, nihil utique efficacius fæpissime deprehenditur medicina vomitoria, qua pulmo concussus muci copiam collectam excutit, ad majorem stimulatur contractionis gradum majusque acquirit robur, quod humorum affluxum imminuit. Verum enim vero non diffitendum est, quod non semper voto ac spei salutaris respondeat eventus. Nam si obstruens & progressui & evacuationi obstans impedimentum sit majus quam quod propelli possit, non in maiores solum angustias impellitur & intruditur, ut impactum ibi atque immobile hæreat, sed alia etiam graviora & atrociora mala producuntur. Non igitur promiscue nullo habito discrimine in ejusmodi afflictionibus emetica sunt usurpanda sed eorum usus cautionem & circumstantiarum considerationem postulat maximam. Neque in hydrope utilitate carent emetica prudenter adhibita, partim, quoniam visceris obstructionem, a qua nascitur hydrops, tollere possunt, partim propterea, quod serum præternaturaliter abundans & partes solidas debilitans evacuant & tam hujus expulsione quam stimulatione sua partibus solidis majus conciliant robur, quo sine dubio permoti excellentissimi practici purgantibus, quæ hydropi parant, stimulum adjungere solent emeticum. His accedit testis locupletissimus Vir summus BOERHAVE, qui in Tractatu de viribus medicamentorum edit. Paris. p. m. 335: nullum emetico promtius est, inquit, remedium, excepta paracenthesi, in ascite sanabili; nihil enim ita promte abdominis extravasata evacuat: hinc etiam veteres ut & recentiores

semper

semper coacti sunt, tale violentum remedium tunc adhibere; siquidem optima sunt huic morbo, quæcunque spasmos inducunt. Ad dolores etiam ad partum necessarios excitandos uterique obstruktionem tollendam conducunt emetica, si situs foetus est legitimus partesque matris decentem habent conformatiōnem. Tandem ad apostemata partium internarum matura rumpenda commendantur, & facilis atque expedita hujus rupturæ est explicatio.

§. XXXIX.

Quemadmodum vomitoria, si caute & prudenter exhibentur, prorsus incomparabilem in morbis afflictionibus exserunt utilitatem, uti ex hac tenus traditis nemo non cognoscit, ita, si non debita cum cautione & circumspecta circumstantiarum consideratione usus eorum administratur, insignes corpori humano inferunt noxas & calamitates. Sanguine abundantibus vel plane non sunt exhibenda, vel, si eorum usus est necessarius, non nisi præmissa venæ sectione; alias eos in summum vitæ periculum conjiciunt & gravissima producunt mala. Neque minus in gravidis, prolapsui herniæ congestionibus ad caput & palmones & hæmorrhagiis obnoxiiis eorum usus plane est evitandus vel summa cum prudentia instituendus, nisi nocere debeat. Quot enim non obvia sunt exempla, a vomitu & vomitoriis hæmorrhagias, apoplexias, abortus, hernias, prolapsus, inflammations, vomitus vehementes nec coercendos idque genus alia mala fuisse producta? Quæ igitur cum ita sint, exinde conficitur, vomitoria memoratis subjectis vel plane non vel non nisi summa cum cautione & præmissis præmittendis, quæ malum effectum præcavent, esse exhibenda.

§. XL.

In ægris, qui convulsivis & spasmodicis agitantur motibus & doloribus cruciantur, cane pejus & angue vitanda sunt emetica, nisi causa dolorum & spasmorum vomitu e corpore posse exturbari, quia non ventriculum atque Kk 3

Quibus & quando porr. emetica non conducant. inter-

intestina solum sed remoras etiam partes spasticis stricturis & doloribus afficiunt, adeoque mala præsentia exacerbant. Præterea emetica statim post iram data admodum damnoſa ſunt, ita, ut vel mortem ipsam vel ſummum vitæ periculum accerſant. Plura hac de re eleganter commentatus eſt illuſtris b. m. HOFFMANNUS in diſſertatione de medicina emetica & purgante poſt iram veneno, ad quam benevolum lectorum remitto.

### §. XLI.

*Quid facient.* Si materia vomitu expellenda, quæcunque fit, nimis dum, fi ma- fortiter cohaeret cum ventriculi parietibus, ſine ullo perſpi- teria vomitu citur negotio, hanc cohaſionem admodum diſſiculter vel expellenda plane non a ſola ventriculi contractione tolli poſſe & mate- nimis forti- ter cum ven- triculo co- qua ſe ventriculus contrahit atque in ejusmodi materiam hacret. agit, reſiſtentiam ejus, quæ non ab ejus pondere ſolum ſed a cohaſione etiam nimia depender, ſuperare debet. Hoc igitur in caſu ejusmodi ſunt præmittenda vel conjungenda vomitorii remedii, quæ nimiam materiæ vomitu ejiciendæ cum ventriculi parietibus cohaſionem auferunt, eam mo- biliorem atque ad exitum aptiorem reddunt, ejus partes diſiunt & ſeparant. Cum vero ejusmodi materia tenax & viſcida varia gaudeat natura atque indole, diversa quoque eligenda ſunt remedii, quibus ejus viſciditas tollitur & cor- rigitur. Diluentia & ſalina maxime ad hunc conducent finem.

### §. XLII.

*Mala a vo- mitu oriun- da.* Silentio præterire hic non poſſum mirabilem obſerva- tionem, quam Celeberrimus BOERHAVIUS in atrocis nec deſcripti prius morbi historia de illuſtrissimo Heroe, nobilissimo Barone de Waffenaer, Reipublicæ Belgicæ Architalasso communicavit, utpote cui poſt maximos vomen- di conatus abruptus fuit cœſophagi tubus prope diaphragma & poſt enormes cruciatus ingeſtis una cum aere deglutito in cavum pectoris delapsis intra viginti quatuor horas mors accedit. Vomitum a plenitudine modum excedente mor- tem

tem intulisse auctor est Riverius in Praxi Medica Lib. IX. cap. VII. qui etiam Hippocratis observationem recenset de illo, qui ab esu fungorum vomitu vehementi excitato interiit & aliam refert de Antonini imperatoris aulico, cui idem ex caseo putri magna copia comedendo contigit. Dum vehementi vomitu omnes fere musculosae partes maximis agitantur motibus & sanguis majorem concitatur in motum atque ingenti ad partes pellitur impetu, mirandum sane non est, a vomitu mala, quorum supra feci mentionem §. XXXIX, ut haemorrhagias, apoplexias, abortus, hernias, prolapsus, inflammations & id genus alia damna produci. Illustris VAN SWIETEN in Commentariis in Aphorismos Boerhaevii de cognoscendis & curandis morbis §. 656. refert, mulierem, quae diuturno ictero afflita fuerat, sumto emetico incidisse in hypercatharsin, qua ingens copia putridae amurcosae materiae per alvum exturbata, dein vero puro sanguine exeunte lipothymia & paulo post mors secuta fuit. Quid? quod a vomitu atroci situs viscerum naturalis fuit mutatus a) & vasa visceraque fuerunt rupta, in primis ea, quae vitio laborarunt.

#### §. XLIII.

Probe quoque medicum indagare oportet, si vomitum Cantela re-  
spectu subje-  
cti, cui vo-  
mitus est ex-  
citandus. excitare vult, num subjectum, cui vomitum excitare vult, ad eum debitam habeat dispositionem & proclivitatem, an minus, ne ipsi frustraneas creet molestias & magna inferat damna. Si enim ei vomitus non facile evenit, consultius agit, si eum non provocat sed alia ratione scopum suum exequi studet.

#### §. XLIV.

Cum spasmus excipiat atonia, vomitum quoque, qui spasmatica-musculorum contractione peragitur §. IX. X, ut sequatur debilitas necesse est. Accedunt aliæ præterea causæ, quæ virium jacturam faciunt, ut consumptio fluidi nervei,

a) vide illustris van Swieten Commentaria in Aphorismos Boerhaevii §. 169.

nervei, quæ motibus vehementibus vomitum comitantibus producitur, exagitatio humorum & sanguinis fortior, qua vasæ nimis extenduntur & debilitantur, & nimia partium ab aliis valde feso contrahentibus siens expansio §. XXIX. Maxime itaque utile est & necessarium, usui vomitoriorum præmisso subjugere roborantia & analeptica.

CAPVT II.  
DE  
RADICE IPECACUANHÆ.

§. I.

De variis  
ipecacuanhæ  
denominaz-  
tionibus.

**R**ADIX IPECACUANHÆ nomen suum accepit ab Americanis, quod me etymologiæ requirendæ labore, ut plurimum supervacuo, levat, & multis præterea aliis insignitur nominibus, ut Ipecacoanna, Hipecacuanha, Hypcacuanha, Hypoacanna, Hippocoanna, Hypoucanna, Specacuanha, Cagosanna, Cacosango, Cacosanga, Stecksapillo & Sapodicamerac. Lusitani eam Cipo di cameras; Hispani Bexugillo, Begouquelle, Beculo, Beloculo & Rais de oro; Galli Beconguille, item Mine d'or vocant, quoniam in montibus auriferis & circa aurifodinas reperiri dicitur. A loco natali, ubi provenit, vocatur RADIX BRASILIENSIS, BRASILIANA, PERUANA, & a virtute, quam exserit, medica, RADIX DYSENTERICA vel ANTIDYSENTERICA item RADIX ANTIDYSENTERICA AMERICANA, PERUANA vel BRASILIENSIS, germanice die Ruhrwurtzel.

§. II.

De ipecacu-  
anha alba &  
fusca in gene-  
re.

Quo minus statim ad ipsam ipecacuanhæ considerationem progrediar, salebrosa impedit homonymia, perniciissimorum errorum fecunda mater: a qua ne periculum enascatur, aliqua sunt præmonenda. GULIELMUS PISO, a) qui primus ipecacuanhæ fecit mentionem, duas ejus recenset species

a) de Indiae utriusque re naturali & medica.

species gradibus facultatum tum & facie & natali solo diversas, ceterum vero iisdem usibus aptas & dicatas, quarum altera alba & a Lusitanis ipecacuanha blanca, altera vero fusca ppellatur & utraque eodem teste apud Brasilienses crescit & per Lusitanos advehitur.

§. III.

IPECACUANHA FUSCA, quæ a Tournefortio nigre. De ipecacuanha fusca  
scens, a Valentino nigra communis, a Neumanno subnigra anha fusca  
& a Geoffroy Brasiliensis & radix Brasiliensis officinarum speciatim.  
nuncupatur, in nostris communiter reperitur officinis, digitum fere longitudine & lineam seu mediocris calami scriptorii diametrum crassitie æquat, tortuosa est, flexuosa, inæqualis, nodosa seu geniculata, multis annulis exasperata multisque filamentis lateralibus prædita, quæ, quia nulla singulari eminent virtute, in usu medico removentur. Cortice extrinsecus obducta est fusco vel nigrante, intrinsecus est alba vel subflava vel grysea ac in medio medullam habet seu nervum filo cannabino crassiori similem, in totam ejus longitudinem porrectum, a quo reliqua viridis radicis substantia potest detrahi. Substantia ejus non est fragilis sed tenax & compacta, resinosa & gustu explorata saporem subacrem amaricantem & nauseosum exhibit & linguam quadam obducit mucilagine. Teste PISONE & MARGGRAVIO amat locos opacos humidos ac densiora nemora & in hortos translata nullum sumit incrementum, POMETUS autem & LEMERY referunt, se ab amicorum suorum nonnullis accepisse, eam in montibus auriferis provenire. LINNAEUS ex sicco exemplari sequentem hujus plantæ suppeditat descriptionem: radix est longissima, caulis rariissime ramosus, decumbens, inferne nudus, folia versus apicem opposita, obverse ovata, utrinque acuta, scabra, subtus pallidiora, duorum pollicum latitudine, trium longitudine, interno diis caulis vix pollicis longitudine: calyx perianthium quinquepartitum, laciniis lanceolato-linearibus, æqualibus persistentibus: corolla quinquefida: stamina quinque: pistillum

Nicolai mat. med. P. IIId.

L I

ger-

germen inter calycem & corollam: styli numero incerti: pericarpium bacca subrotunda unilocularis, calyci insidens, umbilicata: semina tria ossa hinc gibba inde angulata, approximata in globum, uniloculata, tingula sex sulcis exarata. Teste Pisone virtute gaudet hæc radix efficaciore quam alba, præsertim in vomitu excitando.

#### §. IV.

**D**e ipecacuanha alba  
speciatim.

Ipecacuanha alba Pisonis, quæ a Lusitanis ipecacuanha blanca appellatur, radicibus gaudet crassis, filosis, albicantibus, ad been album vel radicem dictamni albi accendentibus, non tortuosis, neque tot annulis, quot nigra, neque tanta amaritie præditis. Teste Tournefortio earum minima crassities uni, maxima vero duabus vel tribus lineis est æqualis, secundum Valentimum autem radicibus nigræ ipecacuanhæ sunt graciliores. Crescere scribitur hæc radix in locis humidis, ad montium radices, in pratis plantamque humi depressam, pulegio similem, protrudere, cuius caulis folia lanuginosa & multos molles albos verticillatos gerit flosculos. Alii ei attribuunt folia acetosæ rotundo folio magis similia, alii vero eam esse incognitam & nihil certi de habitu ejus externo asseri posse contendunt, sed, quicquid sit, rarissime vel plane non ad nos pervenit neque apud nos usu est recepta. Teste PISONE minori vehementia quam nigra suam absolvit operationem, ita, ut commode & tuto gravidis & pueris possit exhiberi, a Lusitanis quoque & Hispanis eam ob causam frequentissime usurpatur & Tournefortius apud Pometum testatur, quod sine illa dysenteriam nunquam curaverit. Illustris GEOFFROY in Traictatu de Materia Medica Tom. II. Sect. I. Cap. I. art. 23. pag. 91. albam ipecacuanham declarat spuriam, sed probe notandum est, illum non hanc, de qua hic sermo est, sed aliam intelligere, quæ a Pisone sub nomine Caa-apiæ descripta & Canapia etiam dicta fait. Hæc quidem ratione habitus externi cum genuina ipecacuanha convenit & externo flavescente colore est prædicta sed minus recte, monente

nente id ipsum Pisone, ipecacuanha appellatur & referente clarissimo Neumanno in Praelectionibus chemicis a D. D. Zimmermanno editis P. III. cap. 97. p. 896. turpis lucri causa genuinæ ipecacuanhae radicibus immisceri solet.

§. V.

Ad has recensitas veræ ipecacuanhae species accedit ad- De ipec-  
huc alia, quæ minus fusca est Brasiliensi & ipecacuanha ci- cuanha cine-  
nerea seu grysea & Peruviana dicitur & quam cum Bra- rea seu gry-  
liensi alba multum convenire docti viri confirmant. Est ra- sea.  
dix duas tresve lineas crassa, tortuosa, annulis exasperata,  
cineraceo cortice testa, densa, dura, fragilis, resuosa, cum  
nervo exiguo radicis meditullium secundum longitudinem  
occupante, sapore subacri & amaricante. Ex Peruvia, ubi  
circa auri mineras nascitur, ab Hispanicis classib[us] quotan-  
nis Gades affertur. Planta est incognita. Atque adeo tres  
species ipecacuanhae veræ & genuinæ sunt in commercio,  
nimirum 1) fusca, quæ etiam Brasiliensis dicitur, 2) cinerea  
grysea seu Peruana & 3) alba, de qua supra locutus fui §. IV.

§. VI

Præter memoratas hactenus ipecacuanhae veræ & ge- De speciebus  
nuinæ species multæ aliæ occurunt plantæ, quæ ipecacuan- ipecacuanhae  
hæ nomine gloriantur & pro vera & genuina ipecacuanha spuriis.  
venduntur, hac vero virtute longe sunt inferiores. Ad  
hunc censum pertinet ipecacuanha alba adulterina, quæ  
sub hoc nomine in officinis reperitur & radix est tenuis pen-  
nam olorinam crassa, filamentis tenuibus ad latera & inferius  
prædicta, extrinsecus ex gryseo flavescentes, amaroris mani-  
festi expers & virtute emetica & purgante destituta. Planta  
vocatur Caa-apia, Caapia vel Canapia & describitur a Piso-  
ne. Alia planta, quæ ipecacuanhae nomine ornatur, est  
Vlmaria major, trifolia, flore amplio pentaperalo, Virgi-  
niana D. Banister. Pluckn. Phyt. T. 236. fig. 5. & Raj. Tom. 3.  
p. 330, Vlmaria Virginiana, trifolia, floribus candidis, am-  
plis, longis & acutis Mor. part. 3. p. 323. Filipendula foliis  
L 1 2 terna-

ternatis Lin. H. Cliff. p. 191. & Gron. Flor. Virg. part. I. pag. 55. Faciem ejus externam describit eamque Virginiae incolam esse afferit, de viribus autem nihil addit sæpius laudatus **GEOFFROY** l. c. **SAM. DALE** in *Pharmacolog.* p. 195. ubi de apocyno egit, mentionem facit aliquarum specierum apocyni erecti salicis vel chamænerii foliis flore umbellato, petalis reflexis coccinei vel aurantii coloris, radice in aliquibus fibrosa, in aliis tuberosa, quæ ex variis Novæ Anglieæ, Jamaicæ, Virginieæ, Canadæ, Marilandieæ tractibus allatae pro ipecacuanha passim venduntur, & adhibentur cum summo eorum, qui iis utuntur, detimento vitæque periculo, quum venenosis polleant qualitatibus. Idem Auctor pluribus de his radicibus in Appendix pag. 458. agit easque per dictos tractus ipecacuanhae nomine venire multumque adhiberi afferit. Adjicit quoque characteres, quibus ipecacuanha spuria a vera potest distingui & qui ita se habent: spuria nimurum ipecacuanha est coloris paulo magis rufi quam genuina radix parsque corticalis interior ad luteum rubescensem colorem vergit, cum in genuina ad album accedat: multo longior est & crassior, rimæ magis distant spatiaque intermedia sunt læviora, vera contra contrarias possidet qualitates.

### §. VII.

De genere  
plantarum  
ipecacuan-  
hae.

Nunc mihi quoque dispiciendum est, ad quoduam plantæ genus genuinæ ipecacuanhæ plantæ sint referendæ, at vero non adeo expeditum negotium hic invenio, ut me rem confessam tenere possim profiteri. Celeberrimus b. m. **GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIUS** ipecacuanham habet pro dentaria, sed **NEUMANNUS** hanc rejicit sententiam. **RAJUS** in *Historia plantar.* Lib. XIII. cap. 17. ex sua methodo eam reposuit inter plantas bacciferas & tribuit ipsi florem pentapetalum album cum totidem staminibus albis, hi flores numero forte decem, duodecim vel quindecim in capitulum sunt congesti, post quos sequuntur totidem baccæ brunnæ, magnitudine cerasi silvestris, quæ intus

tus continent pulpam albam, succulentam, cum duobus granis seminum duris, flavescentibus, lenticularis figuræ. Sequi se in hac descriptione GEORG. MARGGRAVII profitetur & Neumannus ei quoque suum adjicit calculum, sed LINNÆUS a RAO & MARGGRAVIO discedit, uti ex supra dictis §. III. patet, quæ hic conferantur. PLUKE-NETUS eam periclymenon parvum Brasilianum, alii periclymeno accendentem plantam Brasilianam flosculis congestis albis nominant, multi vero plantas ipecacuanhae adhuc incognitas esse nec dum satis accurate descriptas perhibent. Addo ex descriptione Marcgravii his radicem flexuofam nodosam seu geniculatam multis filamentis lateralibus præditam quæque habet corricem subruffum instar tormentillæ, interius albam inque medio habentem medullam, aqua corticalis substantia viridis radicis detrahi facile potest. Caulem progenerat semipedalem aut paulo longiorem, in cuius summitate sex septem vel octo folia insident modo herbae Paris, atque hinc patet ratio, cur *Rajus* hanc plantam herbam Paris Brasilianam polycoccum denominaverit.

§. VIII.

Quæ ad nos pervenient, ipecacuanhae radices, ex De solo na-  
merica meridionali afferuntur, num vero ex Peruvia, re-  
tali radicum ditionis Hispanicæ, an ex Brasilia, regis Lusitanie ipecacuan-  
provincia apportentur, de eo inter rerum naturalium scru-  
tatores non convenit. Clarissimus NEUMANNUS in Præ-  
lectionibus Chemicis a D. D. Zimmermanno editis omnes  
quatuor, quas recenset, ipecacuanhae species per Lusitanos  
ex Peruvia ad nos afferri ibique ab hominibus ad metallicos  
labores condemnatis colligi contendit, cui adstipulatur  
mercator ille Parisiensis Grenerius, vel, uti Geoffroy illum  
vocat, Garnerius, qui ex itineribus nave in Americam  
suscepit redux magnam hujus radicis copiam Lutetiam Pa-  
risiorum attulit & ADRIANO HELVETIO, ordinis medi-  
corum Rhemensis membro, dedit dispensandam. Teste  
PISONE nigra & alba ipecacuanha patriam agnoscit Brasi-  
liam

liam &, si Pometo fides est habenda, cinerea ipecacuanha in eodem nascitur natali solo, ibi nullibi nisi circa auri fodinas reperitur, ab hominibus ad metallicos labores condemnatis colligitur ejusque rarus fuit proventus, quem cum magno, quo olim constitit, pretio causam fuisse existimat, ut a Gallis Mine d'or fuerit appellata. **GEOFFROY** ipecacuanham cinereum ex Peruvia & fuscum ex Brasilia ad nos mitti asserit eamque ob causam cinereum Peruvianam & fuscum Brasiliensem vocat.

### §. IX.

*Observationes de relatione radicis ipecacuanha ad olfactum, gustum & aerationem,*

Quæ in nostris prostat officinis, radix ipecacuanhæ odoratum vix afficit, nisi sub ejus tritura & comminutione subtilissimæ ejus partes in vicinum spargantur aerem & naribus attrahantur, quo facto mox nares irritari & molestia gustum & aerationem quadam affici sentimus. Illi, qui majoribus quantitatibus contundendis diutius occupantur, tot & tanta, nisi in aerem dispersum pulverem caute evitent, experiuntur incommoda, ut paulo post difficulti respiratione, *sanguinis sputo* vel *narium haemorrhagia*, oculorum & faciei nonnunquam etiam *gulæ inflammatione* vel *tumescentia* afficiantur: cuius rei testem habeo jam supra laudatum **GEOFFROY** l. c. p. 92. Si gusto exploratur, sapore subacri amaricante praedita deprehenditur. Exticcata, quamdiu est integra, in multos annos viribus conservari potest integris, id quod de pulverisata non æque affirmari potest, siquidem observatum est, quod, præsertim, si theca, qua asservatur, crebro aperiatur, vel minus studiose sit munita, aeri liberius eam contingent & subeundi facultatem faciat, mobilissimas, quæ ipsi insunt, particulas avehendi & virtus pereat.

### §. X.

*Quid ex adductis observationibus sequatur.*

Sapor subacris americans, quam exhibet ipecacuanha §. IX, ostendit, salia ipsi inesse acria, & consideratio effectuum, quos, si in pulverem redigitur, in corpore humano exferit §. IX, nullum de ejus acrimonia relinquit dubitandi

tandi locum: etenim omnes isti effectus irritationem demonstrant. Ex eo vero, quod hæc radix integra odoratum non sensibiliter afficit & per integros annos sine notabili virium jactura conservari potest §. IX, tuto concludere licet, salia ejus esse fixa nec nisi liberatione ab aliis, quibus adhærent, partibus gravioribus fieri volatilia.

§. XI.

Quando radix hæc ope spiritus vini extrahitur, ejus Partes libra una, observante celeberrimo Neumanno, suppeditat statutivæ radix ipecacuanhae quantam sint.

extracti resinosi primi uncias tres, reliquum vero aqua extractum uncias tres, septem drachmas & unum scrupulum unum substantiæ gummosæ, remanentibus unciis octo, drachmis sex scrupulisque duobus partium non solubilium. Ex ipecacuanhae vilissimæ libra una prædictus Neumannus extracti resinosi primi unciam integrum & dimidiam eandemque extracti aquosæ secundi quantitatem obtinuit; extractione vero primum per aquam facta extracti aquosæ primi unciæ duæ & sex drachmæ circiter fuerunt obtentæ, residuum vero cum spiritu vini infusum sex extracti resinosi secundi drachmas exhibuit, vide ejusdem Prælect. Chemic. Part. III. Regn. veg. cap. 97. p. 896. Excellentissimus quoque GEOFFROY cum radice hac instituit examen chemicum & ex ipecacuanhae cinereæ seu Peruvianæ libra dimidia ope spiritus vini drachmas decem resinæ, ope aquæ autem communis ex eadem radicis quantitate extracti gummosi tres uncias & dimidiam accepit; & post accuratam resinosa & gummosa substantiæ separationem pulveris residui pondus fuit quatuor unciarum. Quum radicem fuscam seu Brasilensem eodem experiretur modo, ex octo unciis non nisi substantiæ resinosa drachmas sex, gummosi autem extracti drachmas undecim accepit, remanentibus post substantiæ resinosa & gummosa separationem unciis sex pulveris non soluti. Vid. ejusdem Tract. de Materia Medica Tom. II. pag. 92. Animadvertis idem quod radix hæc, si in aqua decoquitur, uberrimam suppeditet mucilaginem, tanta præditam

ditam tenacitate, ut decoctum non nisi forti expressione per linteum queat percolari, quod vero plane mirandum non est, cum decoctione in aqua substantia hujus radicis gummosa solvatur, quæ tantam ei inducit visciditatem. Addo doctissimi & de materia medica bene meriti CARTHEUSERI experimenta cum hac radice instituta, quæ in ejusdem Fundam. Mater. Med. Tom. I. p. 524. sunt consignata & ita se habent: principia hujus radicis activa, quæ partim resinosa partim gummosa sunt, inquit, unice in cortice seu parte exteriori, quæ aspera est multisque ornata annulis, hæret; interior lignosa autem tam iners reperitur, ut nihil prope modum substantiæ activæ inde separari queat. Ex uncia una radicis ipecacuanhae gryseæ, quæ in nostris regionibus plerumque in usum trahitur & melior in operando ac mitior quam fusca judicatur, drachmas tres extracti aquosi seu gummosi primi & quatuor scrupulos primi pariter extracti spirituosi obtinui. Monendum tamen, me solam partem exteriorem corticalem, prorsus rejecta interiori lignosa, extractioni adhibuisse. Infusum aquosum post filtrationem pellucidum est & colorem ex rubello ac flavo brunnum, odorem debilem ad seminis carvi odorem quodammodo accendentem & saporem amaricantem subacrem & subadstringentem possidet. Eodem sapore etiam extractum ipsum, quod saturate brunneo tamen colore gaudet, donatum est. Infusum spirituosum colore flavo ad brunnum ac rubrum aliquantulum inclinante, odore debili nauseoso & sapore subacri piperis saporem quodammodo æmulante pollet; extractum inspissatum vero debilem odorem balsamicum spirat & linguae amaricantem, subacrem & in recessu nonnihil adstringentem saporem imprimit. Ex variis his experimentis abundantissime apparere arbitror, radicem hanc constare ex partibus resinosis gummosis & terrestribus, ita, ut terrestres reliquas copia superent & gummosæ majorem ejus, quam resinosæ, constituant partem.

§. XII.

§. XII.

Innumeris iisque indubitatis constat observationibus, *Virtus ipe-*  
primam ac' præcipuam, qua radix ipecacuanhae pollet, vir-*cacuanhae*  
tutem esse emeticam, &, si quid de ea ad intestina defertur, *emetica ejus-*  
purgantem. Jam vero, cum haec tenus meo fini convenien-*que sedes de-*  
ter de partibus ipecacuanhae constitutivis actum existimem*mōstratur.*

§. XI. in eo jam est, ut paucis quoque perquiram, cuinam  
parti constitutivæ virtus emetica & purgans accepta sit re-  
ferenda. Quoniam igitur ex observationibus illustris  
GEOFFROY aliorumque luculenter apparet, vires, præci-  
pue emeticas, & purgantes in parte radicis resinosa residere  
eamque potentissimas exferere vires emeticas, partem vero  
ejus gummosam & decoctum mucilaginosum nihil vel pa-  
rum admodum facere ad vomitum & secessum movendum,  
pulveremque terreum superstitem a substantia gummosa &  
resinous probe separatum esse prorsus inertem nec vomitum  
nec alvum movere: nullum quoque dubium est, quin a par-  
te ejus resinosa virtus purgans & præsertim emetica depen-  
deat. Celeberrimus quoque b. m. Schulzius in Dissertatio-  
ne de ipecacuanha Americana testatur, quod, cum resinam  
ejus eadem lege, qua illa ex jalappa conficitur, pararet  
eamque in mortario lapideo tereret, longe magis ptarmi-  
cam quam pulverem, quem inter terendum naribus antea  
exceperat, fuerit expertus, quod luculentum de majori ejus  
efficacia irritante præ aliis partibus præbet documentum.

§. XIII.

Cum ipecacuanha virtutem suam emeticam & purgan-*Virtus ipe-*  
tem debeat parti resinosæ §. XII. & præterea longe majo-*cacuanhae*  
rem partium gummosarum & terrearum quam resinosarum *emetica &*  
contineat copiam §. XI, quæ vim activam salium acrimum & *purgans num-*  
partis resinosæ infringunt & mitigant §. CCCCXXIII. *& unde tem-*  
CCCCXXVIII. Sect. VI. Part. I, non potest non ab his vis  
hujus radicis emetica & purgans temperari & blandam ac-*peretur.*  
quirere indolem.

Nicolai mat. med. P. IIIda.

Mm

§. XIV.

## §. XIV.

*De virtute ipecacuanhae antidyfenterica.* Si non tædet memoria repetere, quæ de vomitoriorum ipecacuanhae efficacia diarrhoeæ & dysenteriae medendi demonstrata existant §. XXXVII. Cap. I, facile patebit, radici ipecacuanhae, quæ virtute emetica est prædicta §. XII, vim dysenteriam curandi non posse denegari.

## §. XV.

*De virtute ipecacuanhae adstringente.* Quos legi de ipecacuanha, auctores ei attribuunt virtutem viscerum tonum restaurandi & adstringendi. Jam vero roborante & per vomitum alisque purgationem serum e corpore eliminatur, quod copia nimia peccans debilitatem producit, & ipecacuanha vomitum alisque purgationem excitat §. XII, qua de re hanc ob rationem radici ipecacuanhae virtus competit roborans & adstringens. Præterea vero possidet partes terreas copiosas §. XI, quæ humidum absorbendo fibras debiles mutant in robustas §. XVII. Sect. I. Part. I., adeoque hoc quoque respectu virtutem exercere potest roboranrem.

## §. XVI.

*Virtus ipecacuanhae n. f. dysenterica.* Suboritur hic quæstio, agatne ipecacuanha in dysenteria curanda tanquam specificum an communis ceterorum emeticis? Si meain hic proponere licet sententiam, nullus dubito assere, quod haec radix, quoniam virtute vomitoria est instructa §. XII, modo aliorum emeticorum dysenteriam persanet §. XIV, præterea vero præ his singularem possideat efficaciam, qua dysenteriae medetur, quamque partibus gummosis & terreis, quibus materiam acrem, dysenteriae causam, corrigit, ejus efficaciam infringit §. CCC-XXIII. CCCCXXVIII. Sect. VI. Part. I. atque tonum intestinalium debilitatum restaurat §. XV, deberi nullum est dubium, ne dicam, quod innumeris comprobatum sit observationibus, alia emetica, quantumvis optima, in hoc morbo parum aut nihil profuisse adeoque solam hujus radicis virtutem emeticam illum, quem in tollendo hoc malo affert, fructum non præstare. Piso, qui primus hujus radicis fecit mentionem, non videtur virtutem ejus antidyfentericam, quan-

quantum ex ejus scriptis cognoscere licet, habuisse cognitam. ADRIANUS HELVETIUS facultatis Rhemenfis medicus radicem hanc adversus dysenteriam adhibere coepit primus laudibus, quibus eam extulit mercator ille Parisiensis Grenerius, commotus, statimque experientia fuit compertrum, eam admodum salutarem & specificum in hoc morbo praestare effectum. Ipse Rex Galliae LUDOVICUS XIV. de praestantissima hujus radicis adversus dysenteriam virtute certior factus in nosocomio magno urbis Parisiorum, quod Hospitium Dei vocatur, aliisque locis publicis in ægrotis dysenteria laborantibus experimenta cum hac radice institui jussit; quæ omnia cum ex voto successissent, litteris publicis evulgavit in ægrotorum salutem egregiam hujus radicis efficaciam innumeris experimentis comprobatam. Postea Regis Galliae Confiliarius & Archiater DAQUINIUS, Doctor facultatis mediceæ Parisiensis LEGERIUS & Chirurgus GATELERIUS a) deprædicatam hujus virtutis in dysenteriis virtutem experiundo deprehenderunt verissimam eamque TOURNEFORTIUS b) VALENTINUS c) STOSCHIUS Physicus Custrinensis, d) BERGEMANNUS, e) SCHEUCHZERIUS, f) aliquie testimoniis suis confirmarunt,

§. XVII.

Medicus Neomagensis Clarissimus D. D. DEGNERUS, Ulterior eujs historiæ medica dysenteriæ bilioso-contagiosæ Neo-magi anno 1736. graffatae plane aureum scriptum ab intelligentibus omnibus judicatur, in hujus commentationis capite tertio a §. XIV ad XXIX. de radicis ipecacuanhae effectibus atque utilitatibus, quas ipsem vidit, ample disserit.

Mm 2

Digna

a) Ephem. Natur. Curios Dec. III. Ann III. Append. p. 51.

b) apud Pometum in Historia simplicium.

c) in Museo Museum Lib. II. Sect. 2. cap. 1. p. 148.

d) in Actis Med. Berolin. Dec. I. Vol VI. pag 41.

e) in Actis Med. Berol. ibid. pag 43.

f) Illustris Büchneri Miscellan. phys. med. mathem. Anno 1728.

pag. 1191.

confirmatio  
virtutis an-  
tidysenteri-  
cæ ipecacu-  
anhæ.

Digna sunt, quæ apud ipsum relegantur, singula & pro meo scopo pauca tantum adducam: ubi hæc radix in dysenteriæ initio fuit data, semper ejus usus fuit salutaris multis que sufficit semel sumsisse sed nec repetitus usus ulli nocuit, si cardialgia nausea alvique fluxus ad exhibitionem non cessarent, quin omni morbi tempore cum salutari effectu fuit usurpata, quando intestinorum inflammatio vel suppuratione non dum aderat, nec febris nimis vehemens erat: Ubi autem intestina inflammatione suppuratione vel corrosione jam fuerunt correpta vel febris vehementia nimis magna, irrita fuit, quin nociva hujus radicis efficacia. Præter effectum emeticum adeo peculiare & specificum quid ab ea observavit, ut alia vomitoria adhuc nota eam haud æquent; nam non materiam solum morbificam commode & laudabiliter nulla cum noxa educit per superiora, rarius per inferiora, sed robur etiam intestinis addit eorumque tonum relaxatum restituit: *quod iterum frustra ab alio experietatur emetico.* Rationem horum effectuum dedi supra explicatam §. XV. XVI. Semper autem & ubique pulverem radicis in substantia & absque ullo additamento præscripsit adulto a drachma dimidia ad duos scrupulos, junioribus pro ratione ætatis. Dedit autem curative omnibus, nullo discrimine sexus aut ætatis, ipsis etiam delicatulis & debilibus, immo gravidis, lactantibus & lactentibus, ubicunque cum ratione successus bonus poterat sperari. Neque dubitavit auctor hoc remedium adhibere in dysenteria sanguinea eamque fuisse sanatam vel saltim imminutam testatur. Hæc sunt, quæ D. D. DEGNERUS refert de viribus & usu ipecacuanhae.

### §. XVIII.

Medicus practicus militaris, vir magna experientiæ dexteritatis atque ingenuitatis laude ornatus, D. D. Io. GE. HENR. KRAMERUS, a) qui multos annos in castris fuit versatus artemque exercuit, frequentissime summoque cum fructu

a) *Medicina Castrensis Part. I. cap. X. pag. 65, 66.*

*Continuatio  
per tractatio-  
nis antecé-  
dentiæ.*

fructu usus fuit radice ipecacuanhae eamque adhibendi methodum, quam ille fuit securus, subjungere eo magis necessarium existimo, quo magis certum est, multas rationes efficere apud milites, ut dysenteria difficilius quam in hominibus, qui in urbibus degunt majoribusque gaudent commoditatibus ad evitanda illa, quae curationi aliquam objiciunt remoram atque impedimentum. Hæc autem fuit methodus Krameriana, ut ægroto, qui nondum ultra hebdomadem dysenteria laboravit, matutinis horis ex juscule vel theæ infuso pulveris ipecacuanhae grana quadraginta quinque dare & elapsa horæ dimidio superbibere jusculum juberet. Paulo post meridiano & vespertino tempore dedit bolum ex elestuario diacordio Fracastorii & theriaca vel sola theriaca cum pulvere idoneo confectum ad drachmam integrum. Si nox fuit tranquilla nec plures una dejectiones alvinæ nocte fuerunt securæ, nulla alia medicina quam prædicto bolo ter quotidie ut matutino meridiano & vespertino tempore fuit usus tamdiu, donec æger fuit sanatus. Si vero dejectiones nihil remiserunt vel una plures nocte fuerunt securæ, statim prædictam pulveris ipecacuanhae dosin & a meridie bolos memoratos repetiit tamdiu, donec nocte alvus vel plane non vel semel tantum excernitur, quod plerumque post secundam, interdum etiam post tertiam ipecacuanhae dosin contingit, tum tantum ter quotidie nominatus bolus continuatur, donec alvus viginti quatuor horis quiescat, quo facto reliqua usu essentiæ roborantis & alexipharmacæ facile conscientur. Si vero jam ultra octiduum duravit dysenteria, ipecacuanha nihil efficit sed alia eligenda sunt remedia, quæ hoc afferre locus non permittit.

§. XIX.

Quamvis non a priori solum sit probatum sed a poste- Num semper riori etiam indubius iisque quam plurimis observationibus ipecacuanhae compertum, radicem ipecacuanhae opem dysenteriae ferre conduceat in præstantissimam §. XVI-XIX. nihilominus tamen non est existendum, eam omni tempore in dysenteria conducere &

M m 3

omni-

omnibus fine discrimine hoc morbo laborantibus, quocunque versentur in statu, mederi. Elucet jam contrarium ex ipsis adductis observationibus, utpote quae docent, eam non omni dysenteriae tempore conducere §. XVII. XVIII. neque hoc mirandum, cum nullum detur remedium, quod morbum omni tempore, &, quæcunque occurant circumstantiae, curat. Si radix ipecacuanhae non in initio dysenteriae adhibetur sed tunc, quando inflammatio vel suppuration intestina jam occupavit, morbus diu duravit ejusque vehementia nimis increvit, nullum plane afferit levamen sed potius damnum & periculum mortemque accelerat.

## §. XX.

*Ubi & qui-  
bus extra dy-  
senteriam  
conducatur  
ipecacuanha.* Non in dysenteria solum sed etiam extra illam in omnibus iis casibus, ubi vomitus est necessarius atque utilis, nullum datur radice ipecacuanhae præstantius remedium. Securitate & benignitate omnia alia antecellit vomitoria, ut jure meritoque iis præferatur & ipsis gravidis, si necessitas vomitum postulat, immo lactentibus & infantibus tuto & sine noxa exhiberi queat. Leniter suam absolvit operationem nec ventriculum tanta, quanta alia, adoritur & irritat vehementia nec uterus trahit, si debita in dosi exhibetur, in consensum, &, si quid etiam massam subeat sanguinem, nihil tamen periculi exinde in foetum redundat, quoniam distributum per tantam seri molem, qua sexus sequior præ potiori abundat, quicquid acrimoniæ possideret, ita diluitur & corrigitur, ut vi suæ acrimoniæ damnum inferre nequeat. Præsertim tenerrimis conductit infantibus, quoniam in ea dosin justam facilius iis admetiri possumus quam in antimoniatis, quæ mole exigua & vix bene satisque divisibili constant.

## §. XXI.

*Effectus &  
modus agen-  
di ipecacuan-  
hae.* Lentioris est operationis, si per se sola exhibita fuit, ipecacuanha & vix ante horæ dimidiæ vel integræ intervallo præterlapsum actionem suam exercere incipit. Effectus, quem præstat, primus & proximus est angustia præcordiorum

rum

rum seu anxietas, quæ vero non adeo est extimescenda, quia mox rursus evanescit, & sensus caliditatis in ventriculo mox ad caput, deinde per corpus omne excurrens, quem sensuum quasi obnebulatio, oculorum lacrymatio, salivæ in os confluxus & alia symptomata vomitum antecedentia subsequuntur, quæ excipit vomitus, magis vel minus facilis, prout subjectum majorem vel minorem ad eum possidet dispositionem, & reliqua operatio ad inferiora convertitur. Hunc effectum medicinæ hujus vomitoriae medici unanimi consensu affirmant. Modus, quo radix ipecacuanhae vomitum producit, idem est, quo reliqua emetica eum excitant. Cum enim insigni salium fixorum in parte resinosa potissimum hærentium & cum aliis partibus, quæ eorum vim mitigant, coniunctorum copia gaudeat §. X. XIII. salia haec in parietes ventriculi penetrando modo declarato §. XVIII. Cap. I. irritationem ejus & vomitum producunt.

§. XXII.

Quantum de radice ipecacuanhae & quomodo sit exhibendum, ex dictis quidem intelligi potest §. XVII. XVIII., sed rei dignitas postulat, ut accuratiorem & prolixiorem ejus instituam considerationem. Piso l. c. præscribit drachmam ejus dimidiā & Brasiliensibus in usū esse infusum ex duabus plus minus uncis unius noctis maceratione sub dio vel coctione in aqua paratum, cuius caput mortuum simili modo tractatum in usum quoque adhibent. Tournefortius apud Pometum in Historia simplicium drachmam ejus dimidiā vel integrā cum vino juscō vel alio liquore sumere jubet eandemque dosin ipse etiam Pometus l. c. suadet. Dekkerus exhibuit semidrachmam, Hermannus in pulvere ad scrupulum unum vel drachmam unam, in infuso ad drachmas duas, in febris utramque dosin duplicans, referente clarissimo D. D. Boelero in Cynosura Matericæ medicæ continuatæ p. 61. Idem Boelerus hanc dosin habet optimam, qua infantibus minoribus ad granum unum vel alterum, trimestribus ad grana tria &c. annum agentibus

bus ad grana sex, bimulis & trimulis ad grana septem vel octo & ultra, adultis vero ad scrupulum unum, drachmam dimidiā vel scrupulos duos, rariſſime ad drachmam integrā praeſcribitur & in aqua pane toſto correcta, in qua aliquamdiu fuit macerata, in jufculo, infuso Theæ vel aquis destillatis &c. Sumitur, in infuso autem dosis ſemper ad drachmam unam vel duas augetur. Illuſtris b. m. Hoffmannus eam optime & commodiſſime ad drachmam dimidiā cum infuso laxante ex manna rhabarbaro & tamarindis parato exhiberi poſſe ſtatuit in Medic. System. Tom. IV. Part. III. Sect. II. cap. 7. pag. 548. Experiētissimus Junckerus a) doſin ſcrupulum unum plus minus conſtituit. Degnerus b) ſemidrachmam aut duos ſcrupulos exhibuit, Kramerus c) ad grana quadraginta quinque eft progreſſus & Galliae Medicus Geoffroy d) profitetur, ſe experiundo comperiffe, ipecacuanham ad grana ſex vomitum perbellē provocare & ad grana decem non minus vehementer quam ad ſcrupulum unum vel dimidiū evacuare, unde majorem doſin quam grana ſex ad decem inutilem cenſet. Idem com memorat, ſe dysentericis ſemel probe ſurſum ac deorſum ope ipecacuanhæ expurgatis ad recidivas praecavandas aliquot ejusdem grana ſingulis diebus per vices adhibenda praeſcribere, quæ quidem nullam purgationem promovere valeant ſed tantum adſtrīgendo intestinorumque parietes mucagine juuent eorumque exulcerationibus medeantur. Lemery e) ipecacuanhæ fulſcae in ſubtiliſſimum pulverem redactæ drachmam dimidiā uſque ad drachmam integrā & dimidiā, cinereæ vero longe majorem doſin propinan dam eamque pro ſubjectis, in quibus vomitus facile accidit & ipeca-

- 
- a) Conſpect. Med. Theoretico-pract. Tab. LXXVII. pag. 640.
  - b) Hiftor. med. dysenteriae biloso-contagiosae Neomagi 1736. graſſ. cap III.
  - c) Med. Caſtreñs Part. I. p. 65. 66. & Commerc. litter. Norimberg. 1733. hebd. VI. pag. 41.
  - d) Traſt. de materia med. Tom. II. pag. 94.
  - e) Dictionnaire ou Traité universel des drogues ſimples pag. 250,

ipecacuanha justo citius, antequam debitam peregit operationem, vomitu rejicitur, in quinque vel sex partes singulis horis sumendas dividendam esse existimat, ne justo citius vel vehementius agat. Nonnullis, pergit, uno die tantum decem vel duodecim grana exhibentur & repetuntur sequentibus diebus singulis vel alternis saepe sine subsequente vomitu, interdum duas drachmæ per viginti quatuor horas cum vino rubro, quod melius aqua ad extrahendum putat, digeruntur, digestæ colantur & colatae una vice vel pluribus haustibus tempore matutino propinantur, postquam ei post collationem portio aquæ plantaginis vel centumnodii commixta fuit ad vim vini calefacientem & exagitantem temperandam. Ipecacuanha dulcis, scribit, minus efficax est reliquis ipecacuanhae speciebus neque saepe exhibetur sub forma pulveris sed potius cum aqua vel decocto infusa ad drachmas tres haecque dosis saepe reperti solet: si vero eam in pulvere exhibere placet, dosin constituit drachmam integrum & dimidiam. Adhibuit etiam ipecacuanham vulgarem in clysteribus sed effectu vario, dum modo nihil vel parum tantummodo levaminis attulit. Præterea extractum ex hac radice ope spiritus vini paratum ad grana octodecim vel viginti in dysenteria salutarem exseruisse efficaciam testatur, virtutis vero præstantia pulveri cedere huncque præferendum esse existimat. Valentinus a) eam eodem modo vel in pulvere a scrupulo uno usque ad drachmam dimidiâ mane cum aqua tormentillæ vel cerevisia calida exhibet, eamque non remittente malo, semel adhuc vel bis repetit vel cum vino rubro infusam & colatam præscribit.

§. XXIII.

Ratio, cur tanta apud autores in dosi ipecacuanhae ad metienda occurrat varietas §. XXII, nulla sine dubio alia dosi ipecacuanhae existimat, quam quod non una eademque radice sed diversis virtute a se invicem differentibus speciebus usi & corpora diversa ad medicinas emeticas & purgantes habitudine præ-

Nicolai mat. med. P. II da.

N n

dita da,

a) Museum Muscorum Lib. II. Sect. II. cap. I. p. 149.

dita diversisque in circumstantiis constituta fuerunt. In nostro hoc tractu inter viginti & triginta grana manere eaque cum oleo anisi macis vel alio ad solutionem partis resinosae promovendam & ventriculum roborandum, ac, si stimulandi & resolvendi animus est, cum sale medio ut tartaro vitriolato vel arcano duplicato commixta exhibere consultum judico e. g.

Recipe rad. ipecacuanh. scrupulum unum  
tart. vitriolat. scrupulum dimidium  
olei anisi guttam unam

M. f. pulvis. D. S. Brechpulver auf einmahl zunehmen.

Quidam singulis hujus radicis dosibus adjiciunt tartari emeticci granum unum vel duo sed id ex celeberrimi Schulzii a) & Boecleri b) sententia maxime improbatum, siquidem maturius, quam ventriculi menstrua ipecacuanham solverint atque extraxerint, ab antimonia/i additamento excitatus vomitus crudi & adhuc indigesti pulveris magnam & forte maximam partem exturbat, ut vel parum per massam humorum distribuatur & parum ad intestinorum canalem deveneriat, ubi in diarrhoea & dysenteria præcipuum suum præstare debet beneficium. Neque eam, si tota sua vi agere debet, extractioni ut coctioni vel infusioni submittere & infusionem vel decoctum adhibere consultum est, quoniam haec præparationes eam virtute privant, quam ob rem usus ejus in substantia omnium est præstantissimus.

#### §. XXIV.

*De selectu ipecacuanhae ad usum medicum.*

Maxime eo est respiciendum medico, ut radicem ipecacuanhae bonae notae in usum trahat. Proinde ab ipso rejiiciendæ sunt species ipecacuanhae spuriae & tenues ex atro fuscæ radices ligneis fibris & caulinibus conspicuae & contra eligendæ radices multis annulis præditæ, crassiores, crasso obdu-

a) Dissert. de ipecacuanha Americana §. XVI.

b) Cynosura Materiæ Medicæ continuata p. 61.

obductæ cortice, resinosaæ, non fragiles ac per medium nervum habentes transeuntem, sapore subaci amaro & mucilaginoso gaudentes, non vetustæ & vetustate corruptæ nec in pulverem redactæ, siquidem, si sub pulveris forma affervantur, virtutem emeticam amittunt §. IX, & ab iis annexi canaliculi lignosi fibræque adhærentes, quæ nulla virtute sunt instructæ, probe sunt separandæ.

### CAPVT III.

DE

## RADICE SCILLÆ.

### §. I.

Planta olim a Botanicis Græcis Συλλα vocata apud Roma- De scillæ nos pariter scillæ nomen obtinuit. Germani illi nomen proventu. cepæ marinæ, Meerzwiebel, imposuerunt, sine dubio commoti similitudine, quæ inter hanc & ceparum vulgarium radices aliarumque plantarum bulbosas intercedit. Crescit sponte & sine ulla cultura in locis maritimis & copiosus ejus proventus est per omnem maris Mediterranei oram, præcipue autem in insulis Balearibus, circa Tripolim in Barbaria, Sicilia, Apulia, Lusitania & Hispania. Ex postrema hac regione speciatim ad nostros pharmacopæos & aromatarios transmittitur, unde quoque venit, ut a nostratis quibusdam scillæ Hispanicæ cognomine fuerit insignita.

### §. II.

Hermannus a) plantam hanc ad plantas tricapsulares, De habitu hexapetalas, floribus in spicis longa serie dispositis, & Tour- ejus externo. n resortius ad ornithogala refert, eamque, ut a reliquis dissernat speciebus, ornithogalum maritimum vocat. Gerit folia admodum crassa, pedem longa, saturate viridia, succo viscoso acri & amaro turgida, foliis liliorum alborum quodammodo similia. In medio plantæ exsurgit justo anni tempore

N n 2

caulis

a) Cynosura Materiæ Medicæ p. 37.

caulis rotundus & glaber ad unius & dimidii pedis altitudinem, cuius apicem flores albi vel ex albido flavescentes, hexapetalii, in spicis, uti dictum, longa serie dispositi cingunt, quibus marcescentibus & defluentibus capsulae semi-natales triangulares, quae ob angulos obtusos potius orbicularis dicendae sunt, in tres loculos divisae, semina nigra includentes succedunt. Radix est bulbosa, ex lamellis crassis succulentis sibi invicem incumbentibus composita, in parte inferiori instar aliarum radicum bulbosarum multas crassas emittens fibras ac persæpe infantis caput magnitudine æquans.

### §. III.

**De variis ejus speciebus.** Variæ scillæ species a Botanicis recensentur, quæ vero parum a se invicem sunt distinctæ. Ratione coloris, qua radix, quæ hæc tenus sola in usum cessit medicum, distingui solet in rubram & albam. Hæc rarioris est tum proventus tum usus in medicina, viribus vero priori neutiquam inferior ejusque radix lamellis gaudet albicantibus & una cum foliis notabilem consequitur magnitudinem, illa vero, nimirum scilla rubra, foliis minoribus & radice prædicta est foris rubra, intrinsecus e lamellis ex albo rubentibus composita & ad minorem pervenit magnitudinem. Vtraque præterea varia a diversis Auctoriis accepit nomina: alba quippe a Plinio scilla mascula & a Rajo scilla magna alba, rubra autem a Dioscoride pancratium, scilla minor, a Plinio scilla foemina, a C. Bauhino scilla vulgaris radice rubra, a Brunfelsio squilla & a Parckinsonio pancratium verum vocatur. Nonnulli alias amant denominations & exempli gratia rubram majorem, albam vero minorem dicendam esse contendunt, sed mihi est perinde, quæcumque cui arrideat denomination, nullam hac de re movebo litem, sequens duces celeberrimos Botanicos. Neque minus necessarium existimo, fufius exponere, quosdam præter dictas scillæ species adhuc aliis facere mentionem, quam proprie pancratium vocant & folia quidem latiora, quam memoratas, nullum vero semen nullumque florem ferre referunt. Sufficiat, semel

mel hic monuisse, me scillam tantum albam & rubram spe-  
ciatim autem posteriorem, utpote magis usu receptam im-  
mo in quibusdam officinis unice prostantem examini & con-  
siderationi esse subjecturum.

§. IV.

De scilla alba & rubra radix tantum usu medico est re- De iis, quae  
cepta eaque adhuc recens ob humidi mucilaginei abundan- circa scillæ  
tiam ad corruptionem pronissima facile situm contrahit &  
in putredinem abit, hinc etiam, antequam ad exterros trans- exsiccatio-  
mititur, ut ætatem ferat, est exsiccanda nec ad nos delata  
aeri humido & calido exponenda, alias, non obstante pre- nem notanda  
missa exsiccatione, a corruptione putredinosa non manet li- fiant.  
bera. Veteres variis modis eam præparandi & ad usum me-  
dicum aptiorem reddendi fuerunt usi, quos refert Dioscorides,  
qui, plurimos, inquit Lib. II. cap. CLXII. habet crema-  
ta (potius assata *πανιστία*) usus: ideoque crusta ex panificio  
& opere pistorio aut luto involvitur involutaque in furnum  
conjicitur aut carbonibus obruitur, donec circumlita crusta  
illa abunde tosta sit. Quod si amota crusta illa non dum  
cocta penitus scilla tenerior facta flaccesceret, nova ex pani-  
ficio & pistorio opere crusta aut luto circumlita iterum cre-  
mabitur: quæ enim sic cremata non fuerit, gravi periculo  
præsertim interaneis dabitur. Torretur hæc ipsa etiam in  
operculo fistili in furnum conjecta. Sumitur ex ea, abjectis  
extimis cunctis partibus, quod maxime intimum est. Coqui-  
tur eadem concisa etiam effusa priore aqua novaque super  
infusa, usque dum neque amaritudo neque acrimonia in  
aqua sentiatur. Siccatur in umbra etiam, in taleolos secta  
scilla, tum funicolo trajecta sic, ne taleolæ invicem se tan-  
gant, per intervalla suspenditur. Vtimur sic secta & servata  
scilla ad oleum, vinum acetumque, quæ a scilla scillitica no-  
minantur. Hactenus Dioscorides.

§. V.

Modus radicem scillæ exsiccandi, prout hoc vel illo Continuatio  
perficitur modo dissipando volatilia, quibus multæ infunt pertractatio-  
vires, virtutem ejus magis vel minus mutat. Methodus, qua <sup>nis præce-</sup>  
<sup>dentis.</sup> massæ

massæ panis inclusa in furno instar panis coquitur, &c., massæ  
hac cultro ligneo remota, in laminas dissecta exsiccatur, no-  
stra adhuc ætate a plurimis recepta est pharmacopœis, sed  
hæc præparatio, quoniam multas abigit vires, tantum abest,  
ut correctionis nomine digna sit, ut potius castratio nomi-  
nari mereatur. Mea sententia optime exsiccatio potest in-  
stitui nec simul & semel nec valido ignis gradu sed successu  
temporis leni calore in sole vel cibano, ut a corruptione  
vindicetur, integra & incorrupta ad exteris transmitti at-  
que ad usum adfervari queat.

## §. VI.

**D**e radicis  
scillæ habitu  
externo & re-  
latione ad  
fensus.

Radix scillæ, qualis in nostris prostat officinis, debite  
exsiccata densa est, ponderosa, colore albicante rubente vel  
ex albido flavescente, sapore mucilagineo valde acri amaro  
& nauseoso prædita, qui linguæ diu fixus inhæret largio-  
remque salivæ excretionem excitat. Vir Summus, Boerha-  
ve, testatur in Chemia, eam recens *contritam odorem spirare*  
*subtilem acrem*, qui armoraciæ contusæ vel ceparum vul-  
garium instar nares ferit mucique & seri lacrymalis effluxum  
excitat, quoniam autem exsiccatio tenerimum hoc princi-  
pium in auras dissipat, sicca odore tam valido de-  
stituta deprehenditur. Nec ullum est dubium, quin plus  
hujus subtilis & volatilis substantiæ aquearum aliarumque  
partium sub exsiccatione pereat, præsertim fortiori, nisi  
mucilagini, qua radix hæc scatet, copiosæ & viscidæ pro-  
funde hærerent immersæ atque ab ea ut vinculo retineren-  
tur.

## §. VII.

**D**estillatio  
radicis scillæ  
sicca que-  
nam suppe-  
ditet.

Si radix scillæ in frustula minora dissecta ex retorta vi-  
treæ arenæ imposita igne sicco gradatim aucto destillatur,  
prodit primo aqua limpida, quam liquor flavescens & tan-  
dem brunnus excipit. Qui aquæ limpidæ succedit, liquor  
flavescens odorem spirat subtilem, acrem, penetrantem, in-  
star armoraciæ vel spiritus sacchari recentissime evocati na-  
res fortiter ferientem, gustu exploratus acrem urentem &  
acidi-

acidiusculum linguæ imprimis saporem, cuti instillatus puneturae, & ubi cutis tenera est & sensibilis, fortis acredinis ac rosionis sensum excitat. Aqua pellucida primo transstillans odore & sapore nauseoso pollet & nulla manifesta acredine linguam ferit. Liquor brunnus ultimo prodiens eodem cum liquore flavescente pollet odore sed paululum debiliori, sapore manifeste acido instar aceti destillati ac simul empyreumatico, cum alcali fixo fortiorum, quam liquor flavescens, subit effervescentiae motum, quoad reliqua vero perfecte cum illo convenit.

§. VIII.

Hæc §. VI. VII. clarissime evincunt, inesse radici scillæ Conclusio ex principium acre causticum acidæ indolis. allegatis.

§. IX.

Si radix scillæ discissa cum sufficienti aquæ quantitate Partium digestioni committitur, aqua pallide flavebit, intense amara gummosa- & acris evadit partesque extrahit saponis instar manuum m. rum in radi- puritates abstergentes, &, si hæc massa fortiori & longiori ce scillæ subjicitur digestioni, majorem extrahit portionem, quæ per- præsentia colata, expressa & lentæ evaporationis beneficio ad spissitudinem redacta extractum suppeditat gummosum colore fla- vescente paulisper ad brunnum vergente, sapore summe amaro instar extracti absinthii & in recessu acri urente, odo- re ferime ut roob sambuci nec ingrato. Si radicis scillæ unciæ quatuor fuerunt assumptæ, obtinentur extracti ejusmodi unciæ circiter tres, &, si hoc calore paulo fortiori redigitur ad plenariam consistentiam, colorem brunnum obscuriorum & odorem contrahit adversum. Ex his patet, radicem scillæ fatis largam continere partium gummosarum seu mu- cilaginosarum intenso amarore & acrimonia urente prædicta- rum copiam §. CCLXXIII. Part. I.

§. X.

Si radix scillæ cum superfluo spiritu vini rectificatissi- mo leniori & diuturniori, ferme per octiduum duranti, di- gestio-

gestioni exponitur, spiritus vini primo pallide flavescentem tandemque saturatiorem aureum colorem, amarorem insiginem & urentem acrimoniam assumit. Hæc tinctura spiritu ope abstractionis privata & inspissata suppeditat extractum flavum paulisper ad brunnum vergens, circiter ejus duos scrupulos, si radicis unca una & dimidia fuerit assumta.

### §. XI.

*Partium saponacearum fixiorum in radice scillæ præsentia.* Si extracto radicis scillæ ex tinctura spirituosa §. X. parato aqua simplex affuditur frigida, hæc illico flavescente tingitur colore atque intra breve tempus accidente leni vasis agitatione maximam extracti solvit portionem, quin omnem, si lenissimæ subjicitur digestioni, valde exigua parte excepta, quæ sub forma molecularum brunni coloris partim in fundo subsidet partim lateribus apponitur & facta leni agitatione vasis solutioni iterum innat. Hæc collata cum cum §. X, demonstrant, radicem scillæ constare ex partibus saponaceis fixioribus §. CCLXXXV. Part. I.

### §. XII.

*Nom. radix scillæ continet partes resinofas.* Si portioni tincturæ radicis scillæ spirituosa saturata & per spiritus abstractionem concentrata §. X, aqua frigida affunditur nec lactescit nec quid ad fundum dimittit, id quod tamen fieri deberet, si resinam contineret. Interea non putandum est, radicem scillæ omni carere resina, potius meo iudicio valde exigua portio, quæ sub minorum molecularum forma brunni coloris partim in fundo vasis subsidet partim ejus lateribus apponitur & facta leni motitatione vasis solutioni innat §. XI, cum non in aqua sed in spiritu tantum sit solubilis, vere resinosa est æstimanda §. CCLXXXI. Part. I.

### §. XIII.

*De partibus saponaceis volatiliorebus radicis scillæ.* Si radix scillæ tam cum aqua quam cum spiritu destillationi committitur, spiritus abstractus odore radicis caret, aqua vero eodem est imbura, ex quo conficitur, radicem scillæ continere partes saponaceas volatiliores §. CCLXXXVIII. Part.

Part. I. Harum præsentia ex eo quoque patescit, quoniam radix recens contrita subtilem acrem spirat odorem instar armoraciæ contusæ vel ceparum vulgarium instar nares ferit ac seri lacrymalis effluxum excitat §. VII. nullum vero est dubium, quin partes hæ saponaceæ volatiliores sub exsiccatione radicis pereant.

§. XIV.

Ex singulis, quæ adduxi §. VIII-XIII, conjunctum pen- De partibus sitatis clarissime liquet, radicem scillæ constare ex partibus scillæ consti- gummosis seu mucilaginous maximam ejus constituentibus tutive simul partem, partibus saponaceis fixioribus & volatiliорibus, ita, sumtis.  
ut illæ has copia longe superent & hæ maxima ex parte perierint, paucissima resina copiosoque sale acri caustico acido his partibus immerso, quod, cui parti insideat, mihi hic perinde est. Terram denique hæc radix complectitur copiosam, quæ reliquas partes ut pars constituit.

§. XV.

Partibus radicem scillæ constituentibus perspectis ac co- Virtutum ra- gnitis non difficile erit, virtutes ejus eruere & determinare. dicis scillæ Principium ejus copiosum acre causticum §. VIII. tam soli ex partibus fluidas afficit partes, & quidem illas valde irritando & stimulando, quo eorum motus antea torpidi ac segnes atio. vegetiores atque alacriores redduntur, contractiones au- gentur, fluidum ex intersticiis & poris propellitur abundans, robur majus capit incrementum, fluidorum motus celerior ac major evadit, spissa ac viscida resolvuntur, stases stagnationes atque obstrunctiones tolluntur, calor inten- ditur, secretiones atque excretiones ut urinæ sudoris & alvi augmentur §. CCCCXI - CCCCCVIII. Part. I. Neque minus apparent, idem principium, si intempestive, imprudenter vel nimia dosi exhibetur radix, alios quoque edere posse effectus, ut spasmos, vomitus, convulsiones, dolores ob- structiones & inflammations §. CCCCCIV. CCCCCVII. Part. I. Si agit in fluida pituitosa mucida spissa & tenacia, ea resolvit, attenuat, fluidiora & mobilia reddit.

Nicolai mat. med. P. II da.

Oo

§. XVI.

## §. XVI.

**Continuatio** Pars scillæ saponacea fixa & volatilis item resinosa virrei antecet tutem exercent resolventem §. CCCCXCIV - D. resinosa præterea stimulantem, roborantem & calefacentem §. CCCCXCVII. Part. I. Gummosæ partes, quoniam qualitas, quam possident, valde acris §. IX, ostendit, copiosum ipsis inesse principium acre causticum §. VIII, huic suam debent efficaciam adeoque vi hujus producunt effectus §. XV. Magna igitur resolvente scilla gaudet virtute, quam tam principio salino acri caustico §. XIV. quam aliis partibus debet, & non fluidorum solum resolutione sed eorum etiam motus acceleratione atque augmentatione §. XV. secretiones urinæ & sudoris promovere potest §. CCCII. CCCCXLVIII. Part. I.

## §. XVII.

**Ad quam** Omnes, quos scilla producit, effectus profiscuntur a virtutem ef- virtute ejus stimulante & resolven- §. XV. XVI, & ab his festus scillæ viribus reliquæ ejus virtutes, ut diuretica diaphoretica vomitoria purgans & calefaciens, dependent.

## §. XVIII.

**In quibus-** Quum radix scillæ stimulando & resolvendo agat nam casibus §. XVII, & humorum motum caloremque augeat §. XV. XVI, & morbis in iis non potest conducere morbis, in quibus solida jam a conducat scilla. stimulo vehementius agitantur, sanguinis & humorum resolu- lutione motus & calor in magno sunt constituta gradu, id quod in febribus acutis inflammatoriis aliquaque ægritudinibus occurrit. E contrario præstantissimos exserit scilla effectus in illis casibus, ubi partium solidarum tonus destruetus est ac labefactatus, motus & contractiones carum segnes sunt ac torpidi, ut fluidis decenter propellendis subigendis resolvendis atque attenuandis non sufficiant, humores serosi abundant, tenacitate & visciditate laborant, fluida mucosa & pituitosa depravata sunt constitutione, viscidii pituitosi & tenaces humores colliguntur & accumulantur, glandularum vasorum & viscerum obstructions produxerunt.

## §. XIX.

§. XIX.

In affectibus pectoris pituitosis diuturnis & pertinaci- Uſus scillæ bus, præsertim vero in catarrho suffocativo, asthmate pi- in affectibus tuitoso & cacheoticō, tussi chronica rebelli, pectus copicus pectoris pi- pituita viscidæ est oppletum, partes respirationi inservientes tuitosis de- atonia & debilitate, nonnunquam non longe a paralysi remo- monstratur.

ta, laborant atque expellendis humoribus viscidis sufficienti- bus destitutæ sunt viribus, humorumque serosorum conge- stio fit versus pectus atque in eo accumulatio. Verum enim vero radix scillæ partes solidas debilitatas majori afficit stimulo, vehementiori agitat motu, robur earum auget, hu- mores pituitosos tenaces resolvit, & resolutos per vomi- tum alvum urinam vel sudorem evacuat §. XV. XVI. XVII. XVIII. Proinde præstantissimos in memoratis malis exfe- rere debet effectus.

§. XX.

Non minori utilitate se commendat scilla in affectibus Uſus scillæ soporofis & apoplexiis a seri viscidæ in capite accumulatione in paralysi, & stagnatione ortum trahentibus, nervorum atonia & debili- affectibus so- litate, non minus in paralysi ab his causis producta, de quo porofis, apo- ratio elucet ex iis, quæ antea exposui §. XV - XIX. Pari- plexiis sero- fisis, dolori- da & pituitosa humorum constitutione, qua vasa obstruunt & convulsio- obstructa extendunt, dolores, & convulsiones excitant. nibus. Alia quoque ratione dolores spasmos & convulsiones tolle- re potest, quatenus nimirum solida irritat, quæ irritata & vehementiori contractione agitata materiam irritantem, for- tius adhærentem, dolorum spasmorum & convulsionem causam, propellunt.

§. XXI.

In cachexia & chlorosi humores serosi non abundant Uſus scillæ solum sed pituitosa etiam & tenaci gaudent consistentia & in cachexia, partes solidæ laborant atonia. In hydrope ejusque specie- chlorosi, hy- bus serum copia peccat majori, extra vasæ est constitutum, dropis spe- accumulatum, tonus solidorum destruetus, viscera sunt ob- ciebus visce- strictionibus obfessa, & in tumoribus oedematosis occur- rum obstru- tionibus & runt

*morbis hinc* runt eadem, quamvis minori gradu. Porro præsente sanoriuadis. *guinis & humorum constitutione serosa & pituitosa solidorumque laxitate facillime stagnationes, stases, obstructiones in vasis visceribus & præsertim partibus glandulosis oriri possunt, quæ innumeris aliis malis, ut ictero, urinæ excernenda suppressioni, materiae fabulose calculosi concrementi & calculorum generationi, febris intermitentibus, mensium & haemorrhoidum obstructionibus causam subministrant ac fomitem.* Inter febres intermitentes quotidiana a nimia humorum pituitosorum abundantia & quartana a magna humorum viscidity viscerumque obstructionibus oriuntur. Quæ omnia si comparantur cum iis, quæ antea de viribus scillæ demonstravi §. XV-XIX, prona fluit consequentia, eam in cachexia & chlorosi, tumoribus oedematosis, hydrope ejusque speciebus, tam pectoris quam abdominis, anasarca, leucophlegmatia, ascite, viscerum glandularumque debilitate & obstructionibus, ictero, nephritide pituitosa, urinæ suppressione, mensium & haemorrhoidum obstructione, febris intermitentibus, præsertim vero quartana & quotidiana, idque genus aliis ægritudinibus, maxime salutarem exferere efficaciam summoque cum fructu posse adhiberi.

## §. XXII.

*Antecedentia observatio-* nibus corrobantur. Innumeræ mihi suppetunt observationes, quibus assertorum de virtute radice scillæ veritas §. XV - XXII. abunde doceri potest, quas omnia in conspectum proferre possem, nisi tempori spatio & operæ parcerem, sed ne quis forsitan, me ejusmodi documentis destitui, putet, pauca tantum adducam eaque gravissima. Prodeat primo testis locupletissimus beatus FRID. HOFFMANNVS, qui in Medicina Rationali Systematica Tom. IV. Parte III. Sect. II. cap. II. obs. III. in Epicerisi, dignissima est, scribit, mirabilis illa ac fere stupenda scillæ in allevando asthmatis immani paroxysmo efficacia - - - Certe meretur hæc radix inter remedia heroica referri & nostris etiam temporibus in usum trahi. Nam exserit non modo virtutem potenter incidentem, verum etiam

etiam languentes motus excitat, & quod mirabile est, simul anodynū exserit effectum. Scire vero licet, ante illius usum corpus blandis laxantibus esse purgandum, illamque ad tria aut quatuor grana cum radice vincetoxici & nitro, quod mitigat acriorem ejus vim, exhibendam. Alio loco in epicrifi cui asthmatico subjuncta observat. VIII. addit: Præter hæc nemorabilis scillæ videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis notatus, in spasmis & convulsionibus partium nervosarum præsentissime sopiendis, maxime catarrho suffocativo, asthmate convulsivo, quandoque etiam in ipsa epilepsia. Eadem confirmat clarissimus Lubeccensium Medicus D. D. WAGNERUS in libro sub observationum clinicarum titulo edito, in quo undecim observationes propria ejus experientia animadversæ recensentur, quæ locupletissima exhibent testimonia efficaciam hujus radicis in substantia usurpatæ in asthmate periculi pleno, hydrope, tumoribus oedematosis & cacheeticis, nephritide pituitosa, calculo, urinæ suppressione aliisque id genus ægritudinibꝫ gravioribus. Addo DIOSCORIDEM, qui Libr. II. cap. 162. pag. 305: scilla, inquit, additur potionibus, medicamentisque, quæ rarefaciendo sunt, darurque his, quibus urinam ciere volumus. Facit ad cutem subeuntes aquas: ciborum in stomacho incontinentiam & stomacho innatantes cibos. Prodest fuffusis felle, torminibus, diutinis tussibus, suspiriosis, ægre rejicientibus, quos Græci anaphoricos dicunt, trium obolorum pondere cum melle in eclegmate. Coquitur eadem cum melle etiam sumiturque in cibo ad eadem, concoctionem præcipue adjuvans. Glutinosa per alvum dicit. Elixa itidem iisdem pariter sumta prodest: cavenda tamen nec danda his, quibus exulceratum interaneum aliquod. Inunguntur cremata utiliter perniones, verrucæ &c. Plura autorum, qui egregias scillæ virtutes laudibus ornarunt & commendarunt, testimonia reperiuntur in ZORNII Botanologia Medica pag. 618.

## §. XXIII.

**Quomodo**  
**scilla asthma**  
**convulsivum**  
**curet.**

Maxime notatu dignum est, scillam in substantia datam non in asthmate solum pituitoso, pulmonum debilitate & muci tenaci viscidi in pectore accumulatione, sed sicco etiam convulsivo asthmate spasmis & doloribus egregiam ferre opem, ita, ut medici non dubitaverint, illi virtutem attribuere anodynā, cum tamen ob acrimoniam summe causticam, quam possidet, & validam irritandi vim, quam exserit, nāc mala potius intendere adeoque plus nocere quam prodesse videatur. Verum enim vero hic effectus, quamvis primo intuitu ejus explicatio multis obnoxia esse videatur difficultatibus, non adeo difficilis est explicatu. Asthma convulsivum supponit partium respirationi inservientium convulsionem, hāc vero causam irritantem, quāe hoc in casu est acrimonia materiæ stagnantis & tenaciter adhærentis. Si asthma convulsivum proficiscitur a materia acri firmiter adhærente & partes vehementer irritante, sequitur, ut remota ejusmodi materia irritatio adeoque asthma convulsivum cesseret. Removeri vero potest talis materia a partibus solidis, quibus firmiter adhæret, si a scilla in his validiores excitantur motus & contractions. Si materia acri simul est viscida, scilla eam simul resolvendo reddit ad separationem a partibus solidis, quibus adhæret, aptam.

## §. XXIV.

**Modus exhibendi scillam.**

Radix scillæ in substantia præscribi solet ad tria vel quatuor grana eique ordinario adduntur radix vincetoxici ac nitrum, ita, ut grana tria vel quatuor grana scillæ pulverisatae, quinque sex vel octo grana nitri & scrupulus unus vel dimidius radicis vincetoxici consuetam pro adulto dosin conficiant. STAHLIUS & HOFFMANNUS eam sic exhibere soliti fuerunt. Nitrum ideo miscetur, ut qualitatem scillæ nimis causticam mitiget, qua ex ratione vero radix vincetoxici addatur, non satis perspicio, quoniam scilla, si illa omittitur, egregias suas virtutes, si non majori, saltim non minori exercet gradu. Infusum ejus aquosum & tintura

Eturam spirituosam in usum vocare nondum tentatum fuit & consuetum.

§. XXV.

Ex scilla præparatur acetum & oxymel scilliticum. De De aceti scil-  
litici viribus  
& usu. viribus & usu hujus aceti multa prædicantur ab auctore incerto, qui **GALENUS** esse perhibetur, de *euporistis* Libr. III. cap. 205, quo testimonio medicina quasi universalis & longævitatis optimum maximum præsidium censeri debet. Nec vanum esse, quod **PLINIUS** XXIII. 2. scribit: tarditatem aurium gargarizatione purgat & transitum auditus aperit, experiendo cognovit Excellentissimus b. m. **SCHULZIUS**, vide ejusdem *Prælectiones ad Dispensatorium Regium & Electorale Porusso-Brandenburgicum* pag. 5. Est medicamentum maxime egregium in affectibus pectoris, qui a seroforum humorum collectione & copiosa tenaci & viscida pituita oriuntur, ut opkleione & suffarctu pectoris, tussi & asthmate pituitosis hydrope pectoris catarrho suffocativo, in primis, si in eo gummi ammoniacum solvitur haecque solutio aquis commodis diluitur vel cum extracto vel syrupo nicotianæ exhibetur. Excellentissimus **CARTHEUSERUS** dicit in *Pharmacologia sua*, quod apud adultos detur a drachma dimidia ad integrum, ultra hanc dosin non debeat assumi ejusque drachma una principia activa solubilia ex octo propemodum scillæ granis contineat. Celeberrimus vero **SCHULZIUS** in *Prælectionibus suis ad Dispensatorium Brandenburgicum* dosin a drachma usque ad unciam extendit & majori dosi vomitum excitari afferit. Credunt non nulli acetum scillæ activitatem imminuere, sed hoc minus veritati esse consentaneum docent experimenta chæmica. Apud infantes tussi pituitosa suffocativa laborantes guttæ V-XX. cum syrupo quodam vel melle commiscendæ sufficiunt vel hujus mixturæ loco oxymel scilliticum in officinis jam præparatum commode usurpari potest. Est etiam vetus cautela nec fundamento destituta, ne quis scilla vel ejus aceto utatur, qui internæ partis exulcerationem habet. Non vero solum in pectoris affectibus sed aliis etiam ab humorum pitui-

pituitosa constitutione & visciditate, solidorum & vasorum atonia, viscerum & glandularum obstructionibus proficiscen-  
tibus hoc, de quo nunc loquor, conductit acetum. Scillæ acrimonia & virtus in eo non per aceti acidam partem sed potius per immixtum copiosum phlegma temperatur.

## §. XXVI.

*Oxymeli & oxysaccharum scilliticum.*

Oxymeli scilliticum in officinis praestat duplex, simplex & compositum. Illud parum ab aceto scillitico differt, nisi quod mel additum ei saporem gratiorem impertiat & acrimoniæ scillæ moderetur. Eadem, qua acetum, utilitate se commendat & in opulence pectoris suffocativa tam infantum quam proiectæ ætatis, asthmate pituitoso, & reliquis ab humorum constitutione pituitosa originem trahentibus affectibus convenit. Datur ab dimidio unciae ad integrum quin duas adulto; sed majori dosi vomitum provocat. Oxymeli scilliticum compositum est plantis quibusdum stimulantibus roborantibus & resolventibus succoque bryoniae au-  
etum, quam ob causam simplici potentius creditur & in re-  
bellibus affectibus, qui a partium solidarum atonia humorum constitutione pituitosa & viscida, stagnationibus & ob-  
structionibus oriuntur, cuius generis sunt apoplexia, affectus soporosi, dolores capitis, asthma, catarrhus suffocativus, hydrops & id genus alii affectus, non contemendum præ-  
stat auxilium. Exhibitur adulto ab uncia dimidia usque ad duas. Oxysaccharum scilliticum ab oxymelite scillitico hoc uno differt, quod mellis loco saccharum accedit: quod sane perparum refert.

## §. XXVII.

*De scillæ in-  
fuso aquoso  
& tinctura.*

Semper praestat scillam in substantia vel acetum scilli-  
ticum quam ejus infusum aquosum, tincturam spirituosam  
vel extractum exhibere, si vero scillam in infuso aquoso porri-  
gere placet, pauxillum salis alcalici addi potest, si acrimonia  
scillæ est imminuenda & salis alcali virtutes desiderantur.  
Tincturæ scillæ cum spiritu vini parum rectificato paratae  
virtus facile ex dictis determinari potest, cum phlegma in-  
haerens

hærens aliquid mucilaginis teneroris solvat, quæ præter admodum exiguum principii resinosi portionem tinteturam constituit.

§. XXVIII.

Pauca mihi adhuc restant de usu scillæ tam interno Reliquarum quam externo dicenda. Sunt, qui scillam maximopere virtutum, commendant in sensuum externorum, præsertim visus & auditus imminutione, defluxionibus catarrhalibus & ferosorum humorum in certis partibus accumulatione, neque virtus hæc suo destituitur fundamento, quoniam scilla in partium solidarum adeoque nervorum debilitate & in constitutione humorum pituitosa egregie conducit §. XXVII. Porro vim scillæ attribuunt auctores vermes crinones & pediculos necandi & abigendi, quæ sine dubio a virtute ejus stimulante & resolvente qua vermium corpora nimis aggreditur eaque destruit, est derivanda. Laudatur etiam scilla ad memoriam confortandam, quam virtutem tunc exercere potest, si memoriae imbecillitas ab accumulatione serius viscdi oritur. Si ulcera adeo sordida sunt, ut ordinaria remedia non sufficient iis decenter mundificandis & sordibus abstergendis, scillam parcius & prudenter usurpatam non exiguum opem afferre asseritur neque minus ea ad verrucas abigendas commendatur, si illis vel sola vel aceto macerata affricatur. Porro tanquam rubefaciens & revellens partibus externis applicari potest, quoniam irritante gaudet virtute, &, cum errhina facultate sit prædicta, ad sternutacionem excitandam etiam adhiberi potest, præcipue tamen & frequentissime summaque cum utilitate clysteribus stimulantibus ad humores a partibus superioribus revellendos & viscidos resolvendos addi solet. Omnes hæ idque genus aliae virtutes facile ex iis, quæ supra de virtutibus scillæ demonstravi, deduci possunt, ideo his non amplius immorabor.

## CAPVT IV.

DE

## A S A R O.

## §. I.

Asari habi-  
tus & Spe-  
cies.

**A**sarium secundum definitionem, quam RIVINVS dedit, gaudet flore monopetalō regulari seminibus tectis capsula sexpartita. TOVRNEFORTIVS BOERHAVE aliique auctores hanc plantam inter apetalas referunt, RVPPIVS vero in FLORA JENENSIA eam tripetalis adscribit. Non negari quidem potest, florem ipsum fructum instar calicis continere, quia tamen color quodammodo diversus petaloïdes quid ostendit, calicis potius quam petali defectus assumendus est; liberum tamen cuilibet relinqvo, si in hoc plantae conceptu a me dissentire velit. Cum RVPPIO vero florem tripetalum nominare incongruum videtur, quoniam in fundo floris omnia exacte cohaerent, ita, ut nec marcidi in tres resolvantur partes. Deprehenduntur variae quidem asari species, inter quas Asarum Canadense mucronato folio Morison. Sect. XIII. Tab. VII. & Asarum Virginianum cordato folio & maculato sive serpentaria major officinar: Morison. l. c. satis intet se convenire videntur, nostrum tamen ab illis sufficienter differt, in primis, si foliorum figuram paulo attentius consideramus, quae in nostro plane singularis deprehenditur. Est verum asarum DIOSCORIDIS, CASP. BAUHINI in pinace Libr. V. Sect. VI. p. 197. & germanico nomine, Trago teste, Haselnwurz dicitur. Imperfectior quidem est ejus icon, descriptio tamen maxime placet. Delineationes exactiores dederunt DODONAEUS Pempt. III. Lib. II. cap. I. & MORISONIUS Sect. XIII. Tab. VII, qui illud ad differentiam exoticorum asarum vulgare rotundifolium appellat.

## §. II.

Ulterior Radix asari est calami crassitie, repens, quodammodo consideratio nodosa & figura ad polypodium accedens, extus ex fusco viri-

viridescens, intus albicans, fibris plurimis hinc inde in ter- asari ejusque ram dimissis, circa anni initium turiones æstate & autumno partium. præcedente formati squamas expandunt, ita, ut mense Februario jamjam duo folia florem in medio tenentia ex squamis prodeant, flos vero ipse mense Martio excluditur & viget, folia longis pedunculis insistunt, undique per terram sparguntur & flores quasi abscondunt, superius sunt in virore splendentia, inferius vero tenui lanugine pubescunt & figura ad reniformem quam maxime accidunt, ita, ut illis tantum plantam cognoscere possumus. Flos breviori pedunculo quam folium insistit, petalum vel nudum dici potest calice destitutum vel calicem sive perianthium monophyllum campanulatum appellare possis. Nos petalum semitrifidum, coriaceum, ex atro rubicundum persistens nuncupamus simulque monemus, lacinias alias erectas apice esse inflexas. Stamina habet duodecim, sex quodammodo breviora, sex quodammodo longiora alternatim posita, filamentis petali parietibus adnexis. Ovarium in fundo floris hæret & stilum cylindraceum breviorem e centro emittit, cuius sex tubæ in summitate bifidæ stellulam in medio formant. Fruetus ex ovario formatus, quando siccior fit, quodammodo angulatus evadit & in sex loculamenta dividitur, quæ semina ovata oblonga recondunt.

### §. III.

Hanc, quam suppeditavi § I. II., asari ejusque partium De regioni-  
descriptionem desumsi ex Celeberrimi Schulzii Dissertatione bus & locis,  
de asaro. Planta hæc testantibus auctoribus in locis ferme in quibus  
omnibus climatis temperatioris invenitur. Sic eam DIO- provenit asa-  
SCORIDES Lib. I. cap. IX. in Ponto & Phrygia, recentiores rum & quan-  
vero Botanici in Germania Gallia & sic porro provenire te- possideat  
stantur & Clarissimus Schulzius in epistola dissertationi lauda- virtutem.  
tæ annexa insignem ejus esse frequentiam circa Altorium per  
omnes cæduas sylvas & vivas sepes, ut nullibi copiosius forre  
obtingere posse videatur, asserit. Amat opaca & umbrosa  
loca & sub corylis potissimum nascitur, unde nomen quo-

que germanicum naēta fuit. Hyemis patiens est & foliis nondum exsiccati jam novi protruduntur turiones. Radices vim suam optimam autumnali tempore continent; vere enim flores & folia succi copiam exhauserunt, hinc vires medicatae in radice vere sunt longe minores quam autumno. Quod si vero quis folia in usum trahere velleret, ea in primis mense Majo succulenta & efficacia deprehendet.

#### §. IV.

**Partes constitutivæ foliorum asari.** De asaro folia tantum & radix ad usum adhibentur medicum. Acris, quem folia exhibent, sapor, acre ipsis inesse principium manifestat §. CCXXIV. Sect. IV. Part. I., & si folia examini subjiciuntur chemico, patescit, ea continere partes 1) Saponaceas volatiliores 2) Saponaceas fixiores 3) resinofas & 4) gummosas. Præterea substantia acri stimulante satis larga in quantitate prædicta sunt, id quod partim exinde liquet, quoniam, si diu libero exponuntur aeri, vel, si coctioni in aperto vase, ita, ut aeri liber pateat accessus, subjiciuntur, virtute sua privantur, partim ex acri eorum sapore appetet.

#### §. V.

**Virtutum foliorum asari ex partibus constitutivis deducio.** Substantia acris stimulans, qua folia asari gaudent, eorumque partes saponaceæ tam volatiliores quam fixiores & resinofæ §. IV. virtute sunt omnes præditæ resolvente §. CCCCI. CCCCCXCV. CCCCCXCIII. CCCCCXCIV. Part. I., qua de re ut asari folia vehementi instructa sint virtute resolvente necesse est. Porro cum pars eorum resinosa, potissimum substantia eorum acris stimulans §. IV., virtutem possideat stimulantem §. CCCCCV. CCCCCVII. Part. I., haec quoque virtus, &, quæ ab hac dependent, vires, ut vis vomitoria, purgans, errhina, motum humorum calorem & excretiones augens ipsis competere debet §. CCCCC - CCCCCVII. Part. I. Denique cum stimulantia & resolventia excretiones augere §. CCCCI. CCCCII. Part. I., sudorem & urinæ fluxum excitare §. CCCCCXLVII. CCCCCXLVIII. Part. I., &, quæ

quæ humorum motum & calorem augent, hæmorrhagias causari possint, folia hæc memoratos effectus exserere possunt, Gummosa foliorum pars virtutem eorum stimulanten & resolvenrem mitigat §. CCCCLXXII. Part. II. In iis, quæ sequuntur, demonstrabo, cum experientia & observationibus, hæc omnia, quæ hac in peragrapho afferui, convenire.

## §. VI.

Radix afari recens acris omnino deprehenditur, & præter naufragijs, quam continet, qualitatem possidet quoque aromaticam, quæ odore ad nardum accedente detegitur & naufragium illud quodammodo temperat. Exsiccata radix fusca est & insigniter contracta, acrimoniam quidem ostendit sufficientem, aromaticum vero in ea quodammodo deficere & amaricantem contra saporem magis prævalere quilibet experiendo cognoscere potest: id quod luculentissimo inservit documento, ei volatile inesse principium idque successu temporis vel exsiccatione perire. Naufragium principium in siccata radice non adeo efficax reperitur. Si examini legitime instituto subjicitur chemico, easdem, quas foliis, partes inesse constitutivas, nisi, quod substantia acris stimulans longe magis in ea quam in foliis prædominetur, lucuter patebit, & eam ob causam iisdem, quibus folia, virtutibus prædicta est, nisi, quod longe majori vi irritante, aliisque viribus, quæ ab illa dependent, polleat, hinc non necessarium esse judico, ut illa, quæ de viribus foliorum demonstravi, hic repetam.

## §. VII.

Ordo nunc exigit, ut ostendam, eas, quas foliis & radii afari competere demonstravi §. V. VI., vires experientiae & observationibus respondere. Vomitoriam & purgantem radicis & foliorum afari virtutem confirmant auctores unanimi consensu, sed liceat mihi tantum celeberrimum SCHUL-

ZIUM a) HERMANNUM b) HELMONTIUM c) DIOSCORIDEM d) JUNCKERUM e) & SCHAARSCHMIDTIUM f) ut testes allegare. Vi calefaciendi præditam esse radicem nostram, bene monet DIOSCORIDES l. c. Diureticam asaro virtutem competere affirmant HELMONTIUS in Pharm. HEURNIUS in Method. ad Prax. ETTMULLERUS in Operib. Med. & GEOFFROY in Materia Medicae Tom. III. JUNCKERUS loco citato aliquique complures. GEOFFROY inquit loco citato: Asarum remedium est polychrestum, vomitorium nempe & per inferiora valide purgans, diureticum, sudoriferum, amplissima diuturnorum morborum medicina & menses stimulans. Virtus asari haemorrhagias, præsertim mensum fluxum, exitandi earumque obstructionem tollendi provenit a vi ejus motum humorum & calorem excitante obstructionesque vasorum referante §. V. VI. Hermannus l. c. scribit: asarum ob odoris nardini graveolentiam virtutis uterinæ indicem menses fetum lochia pellit & promovet.

### §. VIII.

**De effectibus asari in resolvente gaudeat virtute** §. V. VI. VII., in omnibus morbis, qui ab humorum visciditate, fluidorum serosorum & pituitoso abundantia, stagnationibus, viscerum & vasorum atonia & obstructionibus oriuntur, cuius generis sunt cachexia, febris quartana & quotidiana, hydrops, malum hypochondriacum & hystericum, icterus, asthma pituitosum, tussis chronicis, omnis generis dolores, qui a partium solidarum atonia & humorum viscidorum stagnationibus producuntur, & apoplexia pituitosa, opem ut ferat egregiam necesse est. SIMON PAULI in Quadripart. Botan. Clasi. II. de asari his virtutibus

hæc

a) In Dissertatione de asaro.

b) In Cygnosur Mat. Med. Tom. I. pag. 109. 110.

c) In Magn. Vuln. Curat.

d) In Materia Med.

e) In Consp. Therap. gener. pag. 32.

f) In Therap. Gen. Parte I. §. 111.

hæc scribit: asari radices lienis jecoris mesenterii uteri renumque obstructionibus, ex quibus multarum febrium origo manat, oppido opitulantur: quartana vero laborantium veluti panacea asari radix est, in quibus quoque post vomitum alvumque citatam copiosum sudorem movet, si cum pipere in mero ante paroxysmum propinetur. Eandem radicem in febri quartana optime adhibendam esse affirmat quoque HERMANNUS in *Cynosura Materie Med.* D. D. PEZOLDUS Obj. 57. commendat in quartana drachmam dimidiā aut duos scrupulas recens comminutæ radicis unciis duabus vini Austriae infundere per noctem absque decoctione manequ colaturam ægro præbere, unde plerumque blandus vomitus sed deinde conspicua per diaphoresin evacuatio sit eventura. Hac ratione semel iterumque vacuis diebus expurgato ægro idem infusum sed lenissima ebullitione paratum una ante paroxysmum adventum hora præbere jubet. Hanc methodum pulchre se gerere testatur ejusdem successor D. D. KLAUNI-GIUS in *Nojocom. Charit.* Radicis cum melle & vino decoctum in asthmate pituitoso & tussi humida chronica multum prodesse testantur FREYTAG in *Aur. Med.* ROLFING de purg. vegetab. Tanquam menses atque secundinas pellens remedium tutum laudatur apud RULAND in *Thes. Med.* & HERMANNUM in *Cynosura Materie medice* I. c. Celeberrimus GEOFFROY in *Tom. III. Materie medice* p. 131. hæc habet: Præter facultatem emeticam & catharticam asarum insigni donatur virtute obstrunctiones referandi visceraque roborandi, unde illud emetico - catharticum in febribus intermittentibus, ictero, hydrope, diarrhoea & dysenteria, in affectionibus melancholicis, ischiatrico dolore & arthritide utiliter adhibetur: urinas ciet & menses pellit, unde meretriculæ plus satis frequentant decoctum ejus, cum sentiunt se gravidas: & eandem ob causam prægnantes ab eo abstinere debent. HERMANNUS inquit loco citato: melancholicis ex asaro pessima accident symptomata, ferosis & biliosis plurimum contulisse experientia probat, hinc in hydrope, hydrocephalo, ictero, febribus intermittentibus conducit.

RIVE-

RIVERIUS & TIMAEUS extollunt asarum in doloribus ischiaticis, coxae, alii vero in asthmate tanquam specificum remedium. Celeberrimus HOFFMANNUS in *Clave Pha-maceutica Schœderi* Libr. IV. mentionem facit cujusdam medici aulici Dresdæ aliquando florentis, qui asari radicem omnibus fere medicamentis immiscuit. In arthritide etiam usum ejus valde commendat. Denique decocto magnam virtutem ad morbum ischiaticum pellendum inesse RONDELETIUS commemorat ut & magno cum effectu ipse fuit expertus, vide ejus *Method. cur. Morb.*

## §. IX.

De singulari-  
bus effec-  
tibus virtutis  
asarri errhinae  
& resolven-  
tis.

De virtute foliorum asari resolvente & errhina ejusque salutaribus effectibus ita differit egregius GEOFFROY l. c. Pulvis foliorum asari errhinum est præstantissimum, de quo J. COLBATCH, Medicus Anglus, in suo *Tentamine physico-me-dico de alcalicis & acidis, quatenus habent respectum ad morborum curationem*, mentionem facit tanquam novissime detecto a quodam D. Pitt, Pharmacopœo Worcestrieasi. Refert autem, tria quatuor vel quinque grana pulveris foliorum ex-siccatorum adversus cephalalgiam cubitum euntibus tabaci more exhibita efficere, ut non turbata ægri quiete manu se-quenti per nasi glandulas materiæ serosæ non parva quantitas exoneretur, quod verum esse sèpius comperi, immo hunc pituitosum fluxum per tres dies continuos perseverasse observavi cum summo ægri levamine. Idem pulvis, pergit GEOFFROY, surditati nonnunquam medetur annotante eodem auctore, si in aures granum unum vel alterum insuffletur, & ego etiam hujus errhini efficaciam expertus sum in oris & linguæ paralyſi, quæ unica dosi hujus remedii & lar-go exinde suborto fluxu fuit sanata, quapropter hoc errhini num seu capiturgium medicamentum contra affectus capitis diuturnos & contumaces ex viscida tenacique materia ori-undos dolores gravativos & pressorios, paralyſin, morbos que soporosos summa cum utilitate adhiberi posse certissime credo. Hactenus GEOFFROY.

## §. X.

§. X.

Radix afari non ubivis æque efficax deprehenditur, hinc De afari usu etiam tanta auctorum diversitas in dosi ejus determinanda & modo ex-est derivanda, ordinaria tamen pulveris hujus radicis est <sup>hibendi</sup>, drachma dimidia ad integrum, En! formulam

Recipe rad. afari scrupuluim unum

tart. emet. granum unum.

tartari vitriol. grana sex

M. f. pulvis pro dosi.

Si radix hæc paulo in majori exhibetur dosi, virtutem vehementer exserit emeticam & purgantem, si vero minori propinatur in quantitate, non tam vomitum & purgationem excitando quam potius resolvendo agit, neque minus coctio imminuit vim ejus tam vomitoriam & purgantem quam aliam, eoque magis, quo diuturnior est & fortior quoque liberius aer accedit externus: quæ omnia ex supra dictis sunt explicatu facilia & valent quoque de foliis afari. Infusum foliorum & radicis hujus plantæ vinosum longe majorem exercet operationem quam aquosum, quoniam vinum longe plures extrahit partes activas quam aqua. Radix in infuso vino ad unciam dimidiad præscribi solet, non nulli tamen in determinanda dosi sunt parciores. Si quinque vel sex folia afari cum vino infunduntur, resolventem exserunt virtutem, si vero plura ut decem vel sedecim folia ad infusionem cum vino adhibentur, vomitum & purgationem infusum intus sumtum excitat. Prout decoctio foliorum & radicis cum vino vel aqua, per longum vel breve tempus, in vase aperto vel clauso instituitur, pro eo variat quoque decocti virtus. Celeberrimus SCHAARSCHMIDTIUS radicem afari in febrium intermittentium præsertim quartanæ & quotidianæ curatione maxime laudat ita exhibendam:

Recipe cort. chinæ opt. unciam unam

cascarill. drachmas duas

Winteran. drachmam unam

Nicolai mat. med. P.IIda.

Q q

rad.

rad. taraxaci

afari

falis tartari ana drachmas duas  
concisa pulverisata f. species S. darauf ein Viertel  
Quart kochend Waffer und eine Stunde nachher  
ein Quart Rheinwein zugiessen und achtzehn bis  
zwantzig Stunden in gelinder Wärme stehen zu  
lassen, hernach klar abzugiesen. Davon wird am  
guten Tage Morgens und Abends und am Fieber-  
tage alle zwey Stunden bis zum Paroxysmo ein gut  
Spitzglas voll genommen.

Denique notandum est, partes afari recentes majorem pos-  
sidere virtutem quam exſiccatas, folia vero minorem quam  
radicem, ſi in æquali propinantur quantitate & nonnullos  
octo vel novem foliorum afari cum liquido aliquo contuſo-  
rum & in vino albo dimiſſorum expreſſum ſuccum exhi-  
bere.

#### §. XI.

De iis, quæ Remedia, quæ in pharmacopoliis ex afaro præparata  
præparantur proſtant, ſunt:  
*ex afaro.*

I) AQUA DESTILLATA afari, quam ictero hydropi &  
quartanæ febri medelam ferre afferit CAMERARIUS in  
horto medico.

II) EXTRACTUM, cuius virtus variat, prout vel cum  
vino vel cum aqua fuit paratum, ita, ut vinosum virtu-  
te ſuperet aquosum. Dofis est ſcrupulus unus ad grana  
viginti quinque.

III) Olim in uſu fuit ELECTUARIUM FERNELII, quod  
tamen hodie penitus exolevit. Ejus compositio, quam  
SCHROEDERVS in theſauro pharmacologico deſcribit  
talis eſt:

Recipe

Recipe syrup. menthae

violar. ana uncias octo

coquantur in mellis crassitiem,

sub finem subdueto igne insperge:

Recipe rad. pepon. arefactae

Seminum raphani & urticæ maceratorum

in aqua rosarum arefactorum

& tritorum ana unciam unam

radicis asari contritæ uncias duas

cinnamomi

sem. foenic. ana drachmas tres

Confice in Electuarium liquidum. Dosis est ad  
drachmas tres vel quatuor.

IV) EXTRACTUM ALCALISATUM, quod venit nomine  
**COAGULI ASARI**

Recipe rad. & fol. asari extrahe cum spiritu vini &  
filtra, adde sal ex incineratis fæcibus elixi-  
viatum, ad ignem fusionis calcinatum, solu-  
tione ac inspissatione purificatum, abstrahe-  
que spiritum ad consistentiam mellis, vide  
SENNERTUM in institut. Exhibitetur a scru-  
pulo uno ad duos.

DIOSCORIDES in materia medica Libr. V. vini cuiusdam  
de asaro confecti mentionem facit, quod Asariten nominare  
suevit. Asariten sic conficto, inquit: *asari uncias tres in mu-*  
*sti heminas duodecim itidem adjicito, id vini genus urinam ciet at-*  
*que hydropicis, regio morbo laborantibus, hepaticis, ischiaticisque*  
*convenit.*

§. XXII.

Experientissimus JUNCKERUS in Conspectu Therapiæ Observatio  
hæc habet litteris consignata, quæ ea, quæ dixi supra, con- de effectu de-

Qq 2 firmant costi asari.

firmant iisque majorem accendunt lucem. Decoctum radicis, ait l. c. Vir modo laudatus, radicis asarum vinosum retinet efficaciam emetico - catharticam; aquosum autem vim emeticam amittit & diuresin atque diaphoresin satis notabiliter promovet. Folia, pergit, recentia quatuor vel sex incisa & trita atque cum vino infusa & expressa vomitum, mihi tamen quam radix carent, cum aqua autem infusa tantum laxant. Interdum, quod ego addo, etiam folia infunduntur & liquor per expressionem separatus pro purgante per inferiora & superiora usurpatur.

### §. XXIII.

Quando &  
quibus asa-  
rum non  
coaducat.

Postremo silentio non est prætereundum, quod, quemadmodum optimum, si imprudens ejus accedit usus, in vitium vertitur, ita idem etiam de asaro valeat, si debita cum circumspectione & cautione non adhibetur. Cum asarum ad fortiora pertineat evacuantia, omnibus in iis casibus, qui talia non permittunt, ab ejus usu est abstinentia &, quod ad subiecta attinet, prægnantibus, infantibus, senibus, virium vel humorum defectu laborantibus non est porrigidendum.

## CAPVT V.

### DE GRATIOLA.

#### §. I.

De habitu  
gratiolae ex  
terno.

**G**ratiola Officin: Digitalis minima Gratiola dicta Morison. Histor. Oxon. p. 2. 479: Gratiola centauroides C. B. Pin. 279.: Gratiola J. B. 3. 434 & Dodon. Pempt. 362. Gratia Dei Caesalpini 265: Gratiola vulgaris Parckins: Gratia Dei, cu- semen Gelbeneck, Papaver spumeum forte Anguillar: Li- mneum sive centauroides Cordi est radicibus oblique repen- tibus, albis, geniculatis, fibrisque multis deorsum vergen- tibus

tibus stipatis, quæ caules emittunt erectos, crebris geniculis distinctos, sesquidrantales & longiores, in quibus folia bina ex adverso nascuntur unciam superantia, semiunciam lata, glabra, venosa & intense amara. Ex eorum alis emergunt flores singulares, monopetali, tubulati, posterius perforati, flavescentes & lineis fuscis virgati, cornu modo curvi, octo lineas longi, tres lineas crassi, anterius hiantes & in duo labia divisi dilute purpurascens: labium autem superiorius quasi cordiforme & sursum reflexum, inferius tripartitum. Calix monotomos, in quinque partes divisus, ex cuius fundo pistillum emergit longius, quod mutatur in capsulam dilute rufescens, e rotundo acuminatam, in duo loculamenta divisam, feminibus fetam tenuibus & rufescens. In locis uliginosis & palustribus pratisque humidioribus provenit.

§. II.

Si Herba & radix gratiolæ examini subjiciuntur chemicò, patescit, partes eis inesse resinosas, saponaceas fixiores & gummosas, quibus substantia acris stimulans inhæret immixta. Vi harum partium competit gratiolæ virtus valde stimulans & resolvens §. CCCCXVIII. CCCCXCIII. - CCCCXCLX. Part. I., quae iterum alias effectus, ut vomitum, purgationem, diuresin, vasorum & viscerum obstructorum reserationem, vermium mortem & expulsionem producit §. CCCCCII. CCCCCIV. CCCCXLVII. Part. I. §. XXV. XXVII. Sect. I. Cap. I. Part. II. & §. XII. Sect. II. Cap. I. Part. II. Experientia hæc omnia confirmat & docet, gratiolam vehementer stimulare, potenter evacuare per superiora inferiora & diuresin, magnamque possidere virtutem tef solventem. Facile hinc cognoscitur, quod in ejusmodi conductu morbis, qui ferunt & postulant fortiora stimulantia resolventia & evacuantia, ejus generis sunt hydrops, febres intermitentes a magna copia humorum viscidorum, ingenti eorum visciditate viscerumque obstructionibus prove-

Q p 3

nientes

nientes, & dolores a stagnationibus proficiscentes. A medicis quoque refertur ad purgantia draistica, præsertim hydragoga, & in hydrope maxime commendatur.

### §. III.

**Modus exhibendi gratiolam ejusque præparata.**

Pulvis gratiolæ a scrupulo uno usque ad drachmam unam exhibetur in substantia, sed rarissime, frequentius & melius in infuso a drachma una usque ad tres, frequentissime vero & optime ejus succus a drachma dimidia usque ad integrum & extractum vinosum in eadem qua succus dosi porrigitur. Herba recens ad manipulum dimidium vel sicca ad unciam unam in aqua vel vino macerata præscribitur sed longe melius & tutius est, si lacti infunditur & infusum propinatur. Nonnulli gratiolæ unciam dimidiā, seminis anisi drachmas duas, passularum minorum unciam unam infundunt cum vino & colaturam præbent ad aquas hydropicorum evacuandas. Folia recentia contusa & impolita vulnera consolidare & curare testatur CAESALPINUS eademque capiti imposita hydrocephalo mederi scribit HERMANNUS in *Cynofura materiae medicae*. In clysteribus ad vermes in intestinis crassis hærentes encandos & expellendos præscribitur ita:

Recipe Gratiolæ viridis manipulum unum  
centaur. min.

absinth. ana manipulum dimidium  
Sem. tanaceti

santonici ana unciam dimidiam  
Coquantur in lacte sero lactis  
vel aqua & fiat clyster.

Extractum gratiolæ vinosum præstat, semper minori dosi ut ad scrupulum dimidium, exhibere quam in largiori dosi.

Para-

Paratur quoque ex gratiola conserva virtute emetica & purgante prædicta, cuius dosis est ad drachmas duas, item sal fixum, quod in hydrope magnis extollitur laudibus sed ab aliis fixis salibus eodem modo per incinerationem paratis nihil singulare possidet. Decocti WIERI ad hydropem præcipuum est ingrediens gratiola, hodierno vero aevo vix vel plane non adhiberi solet, & facile est ex iis, quæ antea differui, perspectu, ejus usum in omnibus omnino subjectis & casibus exulare debere, in quibus draistica sunt noxia.







